

ORATIONES
P. JOSEPHI IGNATII CHIABERGE
SOCIETATIS JESU,
ET
CARMEN GENETHLIACUM
EJUSDEM AUTHORIS.



TAURINI, MDCCXXIV.

Ex Typographia JOANNIS FRANCISCI MAIRESSE
sub Signo Sanctæ Theresiæ.



TYPOGRAPHUS *LECTORI.*


Audatio Funebris MARIÆ JOANNÆ BAPTISTÆ Sabaudiæ Duciſſæ, nuper typis edita, & Civium plauſu excepta, licèt tempore, & ordine poſtrema ſit; primam tamen mihi hujus operis excudendi cogitationem injecit. Verebar enim, ne, quod hujuſmodi opuſculis plerumque accidit, elegantiſſima Oratio, in qua totus eminet Author, & pares tum ingenii, tum eloquentiæ exſerit vires, communi exiguorum operum fato, interiret. Quamobrem, ut huic periculo occurrerem, Orationes aliquas, & alia ejuſdem Authoris opera, olim Romæ impreſſa, & in varios libellos diſperſa, hinc inde corradere, ac colligere ſtudui; ut in unum juſtæ magnitudinis cor-



pus

pus compacta, se se merito, & pretio suo, & mole insuper ipsâ, & congerie à temporis injuriâ vindicarent. Sola obstabat consilio meo diversitas linguæ, quòd Italica latinis mista haud satis inter se congruere viderentur. Sed, ut huic etiam incommodo aliquatenus mederer, curavi, ut Oratio illa Italica, quam potissimùm edere destinaveram, latinè redderetur, & cæterarum non modò elegantiam, & sententiarum vim, sed quoad fieri posset, characterem quoque, ac stilum imitaretur: Quod sanè difficillimum fuit, neque adeò exactè fieri potuit; quòd Author longè aliâ methodo, atque aliâ Oratoriæ dictionis formâ utitur, cùm Italicè disserit, quàm cùm latinè: atque etiam in hoc ipso Funebri Principis Encomio, Sacri Oratoris personam, & Pietatem sustinet, & crebris Sanctorum Patrum sententiis illuminat suas: quod latina, ut nunc quidem fieri solet, laudatio, vix patitur. Ut ut sit, illud equidem consequar, quo præcipuè animum intenderam, ut Sabaudæ Heroidis res gestæ, & Virtutes eximiæ, & præclarissima Christianæ Pietatis exem-

exempla utrâque linguâ legi possint: neque Italiæ tantùm finibus claudatur ejus Fama, sed apud exteras Regiones, & Europam universam increbrescat. Gratissimum quoque huic Urbi fore confido, si Civem hunc suum, quem elapsâ proximè Quadragesimâ, tam disertè, & nervosè, tantâque omnium Ordinum celebritate, & plausu, è Sacro Regio Suggesto concionantem audivit; eundem intelligat, Summis Oratoriæ, ac Poeticæ Artis laudibus, à primo juventutis flore insignitum, in amplissimo illo Romanæ Urbis Theatro, famam sibi, Patriæ gloriam comparasse. Neque mihi, ut arbitror, irascetur Authoris modestia, sed dabit hoc amori natalis Soli, ut quem sibi honorem recusat, Civibus saltem suis non invideat. Fruere interim, amice Lector, paucis hisce tanti Ingenii monumentis, quæ ut Tibi offerre possem, studiosè collegi, reliqua etiam daturus, si quæ plurima, & pulcherrima superesse audio, consequi possim. Vale.



IN-



INDEX.



CLE-



CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO

ORATIO PANEGYRICA

HABITA IN AULA MAXIMA COLLEGII ROMANI ANNO MDCCIII.



SI GRATULATIONIS, quam OPTIMO PRINCIPI tot nominibus debitam solvimus, excusandam in præsentia tarditatem arbitrarer, EMINENTISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, argumenti in primis magnitudinem accusarem: proferrem deinde Romani Oratoris sententiam, negantis videlicet seram gratulationem reprehendendam videri: quòd ea minùs in adulationis suspicionem vocetur, quòd verior esse, ac plenior soleat: cum è contrario laudatio præpropera spei vulgo plus, quàm rei afferat, & Virum magnum promittat potiùs, quàm exhibeat. Verùm excusationes istas à me nemo vestrum, AUDITORES, opinor, desiderat, quibus explorata jampridem est, atque perspecta Sanctissimi Modestia Pontificis, honores, laudesque aver-

Sera Gratulatio reprehendi non solet. Cic. epist. fam. l. 2. ep. 7.

ſantis, & generoſâ quadam ingentis animi indole detrectantis. Sed pace Tuâ dixerim, CLEMENS PONTIFEX MAXIME: Diu ſatis obſequuti Modeſtiæ Tuæ ſumus. Cedas affectibus noſtris, oportet. Noſtrum hoc obſequii, venerationis, ac ſi fas dicere, amoris qualecumque tributum tandem exoratus, accipias, neceſſe eſt. Fuerit Moderationis Tuæ, quòd tamdiu obſtiteris: ejuſdem profectò eſſe debet, quòd aliquando vincaris. Quoddam enim genus immanitatis eſſet; ſi tam grave nobis ſilentium, ac pudorem, quo ſuffundimur, juberes eſſe perpetuum. Pudet enim, quòd tamdiu paſſi fuerimus ſilere liberales Artes, hujus Romani Lycei felices incolas, quæ primum occupare debuerant gratulandi locum. Hoc unum illis erat votum: Et quidem quale optabilius, aut æquius votum? Quàm enim decebat præclariſſimas Artes, quæ Magnum Te olim Alumnum exceperant, Patronum deinde ſtudioſiſſimum, mox Principem ſenſerant, ac Parentem ſuum; quæ ex incremento Dignitatis Tuæ tantam ſuæ pariter dignitati acceſſionem factam eſſe intellexerant; Quàm, inquam, decebat, ut Tibi ſtatim gratularentur ac ſibi? Æquiſſimum erat, ut qui tantopere illas commendas, ab illis pariter commendareris. Verùm ubi ſenſere, tamdiù Te invitum, obluctantemque, non niſi magnâ vi, ac deprecatione multâ ad ſuſcipiendum Orbis Catholici Regimen cogi potuiſſe, nec ſatis

poſt

post susceptum Dignitati acquiescere; ingenti stupore defixæ, dolorisque Tui participes, quò se verterent, quid consilii caperent, ignorabant. Quid enim facerent? Gratularentur felicitati Tuæ, quam infelicitatem Tuam quodammodo interpretabaris? Dolorem acuit, qui dolenti gratulatur. Gratularentur felicitati nostræ? Sed quæ poterat esse felicitas nostra, dolente Te? Non secus enim ac Tu sine nobis, ita nos sine Te felices esse non possumus. Quid itaque reliquum erat, nisi ut erumpere gestientem lætitiam gravi silentio premerent, atque ab omni gratulatione abstinerent? Quod cum illæ facerent, jacuissent mœrore confectæ; nisi probè intellexissent, hòc Tibi chariores esse; quòd silerent. Quamquam, fidenter dicam, non omnino imperare nobis potuimus, ut sileremus: sed privatim, ubi dolori, & gaudio libertas, ac locus major est, certatim invicem gratulabamur: & domesticos intra parietes, ubi nulla fingendi necessitas, sincero gaudio exultabamus. Quin etiam usi, quâ licuit, opportunitate dicendi, & scribendi, testatum voluimus, quid Tibi, quid nobis deberemus. Ab hac tamen celebritate hactenus abstinendum putavimus: ne Tibi ingrati essemus, ac molesti; dum grati, & officiosi esse contendimus. Nunc verò, cùm omnium consensus, & conspiratio vicit, ut par erat, Modestiam Tuam (Neque enim omnium Gentium æquissimis votis, &

gaudiis obsistere, si velis, potes; nec si possis, debes) nunc enimverò ferendum non esset, ac nemo nobis ignosceret; si nostras voces in publico isto quasi concentu desiderari pateremur. Neque esset Clementiæ Tuæ; si quod aliis negare non potes, quod omnes etiam Te invito, faciunt, nobis, ad quos præcipuè attinet, prohiberes. Persolvimus itaque necessarium officii vectigal, quod si minùs Modestiæ Tuæ, CLEMENS, Tuæ saltem Æquitati esse gratum debet. Gratissimum certè continget tot sapientissimis, atque omni ex parte ornatissimis Viris, quorum Ego præsentiâ cohonestor, authoritate commoveor, expectatione ad dicendum impellor. Quâ enim sunt erga Te veneratione, studio, & amore, gaudent palàm audire, quod ipsi privatim sæpe gaudentes loquuntur. Adsum igitur, vestros omnium sensus ut explicem non falsus interpres, AUDITORES ornatissimi. Dicendi argumentum à vobis, ipsa prope verba mutuabor. Mirati estis, quòd Pontificatum detrectaverit? Hoc primum. Gavisi, quòd acceperit? Hoc alterum. Gaudetis, quòd tantâ cum Dignitate, Sapientiâ, Virtute administret? Hoc tertium erit, atque præcipuum meæ Orationis caput. En igitur quibus veluti adumbratam coloribus vobis hodie propono CLEMENTIS imaginem. MAGNUS FUIT IN PONTIFICATU DETRECTANDO: MAJOR IN ACCIPIENDO: MAXIMUS EST IN AMDNISTRANDO.

PROPOSITIO, ET DIVISIO.

No-

NOSTIS pro vestra sapientia, AUDITORES, quàm suaves habeat Honor illecebras, ad concilian- dos sibi hominum animos, & in sui desiderium, amoremque rapiendos. Nullum enim speciosius, nullum præstabilius inter mortalia bonum est. Sed nec mortale bonum existimaveris, quod homines ornat post funera, consecrat immortalitati. Natura ipsa tacitis quibusdam igniculis, quos nobis inserit, huic ad gloriam ardori quodammodo lenocinatur. Magnum quiddam Homo est: dignitatis suæ sibi conscius altum quiddam spirat: & honorem, tanquam debitum excellenti Naturæ tributum spectat. Nec illos veteres miror, qui Honori Templa posuerunt, Aras tanquam primario Numini erexerunt. Quamquam quid aris, quid templis opus quando huic Numini in illorum animis Heroum ambitio jam pridem aras extruxerat? Ibi humano sanguine, Provinciarum vastitate, Regnorum excidiis Idolum illud colebatur. Hinc factum, ut Philosophia illa vetus, atq; adeò vera, & Christiana Philosophia nihil majus ad hominum commendationem excogitare potuerit; quàm si quis tam forti, tam invicto esset pectore, ut Honorem contemnere auderet. Hoc eò splendidiùs laudavit admiratrix Heroum suorum antiquitas; quò paucioribus meminit contigisse. Hoc in CLEMENTE quàm multi, quàm verè prædicarunt? Quàm nemo hactenus tamen laudavit satis ac miratus est?

I. ORATIONIS PARS.

Clemens in detrectando Pontificatu Magnus.

Honoris illecebræ.

Quantum enim, quæso, illud est, quod repudiavit? Illam nimirum Dignitatem, quæ vicariam sustinet Supremi Numinis Majestatem. Quæ vota quàmlibet ambitiosa Honor iste non implet, ac superat? Hominem, an Deum putas, quem in Aris ipsis coronandum locari, quem in Religionis quasi Domicilio, in Orbis Catholici Arce constitutum vides? Indè sacras leges Populis, & sancta jura distribuit. Si Thronum ascendat; strata humi Regum Majestas pedes deosculatur, leges audit, fulmina perhorrescit. Si jubeat, audiunt Nationes universæ, Cœlum ipsum obsecundat, Tartara contremiscunt. Paucis accipite supremi hujus Honoris imaginem. Sublimis Tartara pedibus calcat; alterâ manu Orbem Terrarum complectitur; alterâ Cœlum attingit, ac pro libito claudit, reseratque. Quàm magni est animi, Deus immortalis! Honorem istum obtinere cum possis, non quærere; cum merearis, non cupere; cum sponte ab omnibus deferatur, strenuè, ac fortiter detrectare?

Honor Summi Pontificatus.

Sed erunt aliqui fortasse, qui Honorem aditu primo respuant, quasi ejus inopinatâ luce perstricti. Erunt, qui ne ambitiosi videantur, fugiant oblatum decus: sed non procul, non diu, non constanter: eatenus dumtaxat, ut famæ consulant suæ; ut præter ipsum Honorem, Modestiæ quoque laudem assequantur, qui honoris cumulus est, callidè ambitiosi, modestè superbi, superbè demissi.

Clementis in Honore detrectando Fortitudo, & Cõstantia.

misi. CLEMENS diu, constanterq; talem se præbuit, qualis initio visus erat. Quàm erat optandum, ut ad Religionis nostræ splendorem, ac pompam in quodam proponi potuisset universi Orbis Theatro speciosum illud, ac triumphale certamen, quod in arcanis Comitiorum penetralibus peractum est: ubi tres integros dies, non ut magnum aliquod pararetur Imperium, sed ut augustissimum in Terris Imperium detrectaretur, hinc à PURPURATORUM PATRUM SENATU, indè ab UNIUS Constantia acerrimè pugnatum est, & de regnandi cupiditate utrimque gloriosissimè triumphatum? Merebantur qui deferebant, vel hoc ipso, quòd Tanto pares Imperio, in alterum transferre certarent, reluctantem cogere niterentur: perinde ac si beneficium amplissimum ipsi potiùs accipere viderentur, quàm dare. Tu verò, qui à tot maximis Viris, ac mereri se, quod dabant, consciis dignissimus, atque Optimus deligebaris, CLEMENS, merebare procul dubio jampridem oblatum decus. Iterum, ac magis promeruisti, cum illud constanter adeò, ac magnificè detrectares. Sed iterum, & tunc maximè promeruisti, cum repudiatam fortiter Dignitatem fortissimè suscepisti: ut verè tunc beneficium amplissimum non Tibi datum ab omnibus, sed à Te datum fuisse omnibus, constet.

Videas enim interdum homines, qui ab Honore capiendo refugiant, sed conscientiâ imbecillitatis,

quia pares oneri ſplendido non ſunt, aut inertiâ; quia onus horrent. CLEMENS verò, & onus vidit, & humeris non impar vidit, & impoſitum ut perferret, à ſe ipſo fortiter impetravit. Adeò ut, qui MAGNUM SE PONTIFICATU DETRECTANDO exhibuerat, MAJOREM SE probaverit ACCIPIENDO.

II. ORATIONIS PARS.

Major in accipiendo.

RECTE' hoc, & ſapienter, nec ſine certo Divinæ Providentiæ conſilio videtur comparatum eſſe; ut honores oneribus, onera verò honoribus temperarentur: ut honorum cupiditatem onerum moleſtia compeſceret; onerum gravitatem honorum jucunditas recrearet. Utriſq; conſtant ſplendida munera, honoribus juxta, & oneribus. Hoc tamen intereſt, quòd honores oſtentantur, onera diſsimulantur. Blandum quiddam, & inſidioſum Honor eſt: non ſtatim oſtentat onera, quæ terreant, ſed Dignitatem, quæ placeat. Utramque Honoris, blandi, & ſeveri; læti, & moleſti; placidi foris, intùs tumultuoſi faciem CLEMENS vidit. Detrectavit lucem, blanditias, ſplendorem: Onera, moleſtias, tumultum, & curas accepit.

Onera Summi Pontificatus.

Quàm eſt oneroſum, Deus Immortalis! impoſitam velut humeris ferre totius Orbis molem: Europam, Aſiam, Americæ, atque Africæ remotiſſimas gentes paterno ſinu complecti: admittere in animum omnium curam Populorum: omnium pericula, infortunia, calamitates ſuſcipere: oblitum ſui Orbi Chriſtiano vivere: de tot Urbibus, & Na-

tio-

tionibus, & Provinciis in vera Fide, in pace, & concordiâ continendis diu noctuque cogitare: accipere innumerabiles undique Nuncios, totidemque dimittere: sollicitos dies, ac vigiles noctes pro omnium salute, ac felicitate transigere: adversùs tot hæreses, superstitiones, ac vitia contendere: spectaculo esse mortalibus universis, quibus rectam præbere vivendi, sentiendique normam, ac regulam tuis ipse legibus, tuis moribus debeas? Tot septa laboribus Dignitas an non meritò debebat nonnullâ honoris pompâ circumvestiri: ut honos onera vel dissimularet, vel solaretur? Si enim totam repentè se proderet curarum hæc moles; quem tantæ magnitudinis virum existimamus fore, qui suos supponere humeros vellet? Sapienter itaque Christiana Respublica, dum dignitate gravissimâ Pontifices onerat, honores veluti quoddam Pietatis tributum, atque vectigal, non quidem necessarium sanctissimis Viris, æquissimum tamen, persolvendos statuit, ad laborum solatium, onerum levamen, & lenimentum curarum.

Verùm concipite animo, AUDITORES, HEROEM aliquem, supra mortalium conditionem excelsitate ingentis animi sic evectum; ut nihil extimâ captus rerum specie, ac fulgore, Pontificiæ Dignitatis onera, curas, laboresque omnes penitus introspiciat, & immensâ quadam mentis amplitudine complectatur: Eâ insuper sit firmitate, & constantiâ mu-
nitus;

nitus; ut quantum ad promerendos honores meriti afferat, tantum ad eos contemnendos roboris habeat; nihil ab eorum ſpecie, ac illecebris permoveri ſe, aut incitari patiatur. An eum aliquando tantam onerum molem ſubiturum putamus? Si faceret; quem Illum eſse, quâ magnitudine animi præditum putaremus?

At Quis HEROS Ille, quem cogitaſtis? CLEMENTEM profectò, AUDITORES, intellexiſtis à me ſub HEROIS iſtius imagine rudi adumbratum. Omnes Ille tantæ Dignitatis labores, onera, & curas capaciſsimæ ſolertiâ mentis deprehenderat. Quin uſu ipſo, atque experientiâ rerum Magiſtrâ tanti Honoris jugum, tanti ſervitutem Imperii, tantæ Felicitatis ærumnas ſatis ſuperque didicerat. Cum tribus Pontificibus Maximis in ſuſtinendo Eccleſiæ Orbe ſuppetias ferret, tunc oneris gravitatem tanti ſenſit. Quâ enim erat exiſtimatione, Authoritate, Sapientiâ, atque in conſiliis capiendis dexteritate, nullus incidit nodus, ad quem ſolvendum, atque enodandum quæſitus iſte non fuerit Alexander. Sæpe in rebus difficillimis, conſilium, ſententiam, præſidium rogatus, in ea penetralia introire conſueverat, ubi latentes explicat, ingenteſque ingens felicitas labores, anguſtias, curas.

A Clemente probè cognita, & accepta.

Adde novum iſtis pondus: Perturbationes præſentium temporum, calamitates, bellorum incendia, quæ Europæ univerſæ imminere jam tum ſentie-

Præſentium temporum difficultates.

tiebamus omnes, perſpicaciſsimo Ille mentis obtutu intuebatur. Navim regendam conſcendit, non cùm Cœli ſerenitas, ventorum favor tranquillitatem, & ſecuritatem promitterent; ſed cùm ingentes ubique attolli fluctus, ſæviſſimas circum undique impendere tempeſtates videret. Quæ nunc non ſine dolore cernimus, jam Ille cogitatione præverterat: Imperia ſe invicem collidentia; in mutuam ruentes perniciem armatos Reges, ac Principes; Populorum clades, Urbium ſolitudines, vaſtitates agrorum, Regnorum tumultus; Religionis neglectum, metum, pericula... Sed nolo, AUDITORES, Europæ faciem triſtiſsimam veſtros ob oculos ponere: ne pietati, ac dolori veſtro nimiùm indulgeam. Quantæ, rogo, Magnitudinis fuit, ſapientem animum, nullis honorum illecebris delinitum, tot, ac tanta hujus Imperii onera planè perſpecta ſuſcipere?

Sed nondum ſatis de ſuſceptis oneribus dixi. Poſtremum addo modeſtæ menti longè graviſsimum. *Onus omnium Maximum, Honor ipſe.* Quid illud? HONOREM ipſum, quem tanto CLEMENS abhorrentis animi niſu propellere à ſe, ac deprecari contenderat. Hunc ſubjiſse nònne majus, quàm repudiaſse fuit? Ut enim repudiares, CLEMENS, repellendæ Tibi erant honorum illecebræ: ut exciperes; ipſa honoris detrectatio, honore ipſo ſplendidior, veluti retractanda; atque in Honore tam fortiter, tam ſapienter rejiciendo velut obfirmatus animus expugnandus. Moderanda ibi honoris

noris cupiditas: hic ſapientis animi demiſsio, ac virtutes, quæ lucem fugiunt, ſuperandæ. Sapientia hortabatur, ut ſperneres; Moderatio, ut recuſares: hoc ipſum ne acciperes, Animi tui Magnitudo, Conſtantia, & Modeſtia ipſa ſuadebant. Modeſtiam accipiendo ſuperaſti, Conſtantiam viciſti, Magnitudinem cumulaſti. Animum renuendo viceras: eumdem iterum, jam ſui victorem, jam ſe ipſo majorem admittendo, atque impoſiti oneris triplicem quaſi molem, tribus Gentilitii ſtemmatis Montibus adumbratam, ſuſtinendo viciſti.

Dicam tamen, AUDITORES, quod ſentio. Parùm eſſet Honorem probè cognitum detrectaſſe: parùm etiam perſpecta onera ſuſcepiſſe: niſi eadem pari cum laude perferrentur. Accedat hic laudi Tuæ cumulus, CLEMENS PONTIFEX MAXIME. MAGNUM TE PROBASTI HONORE DETRECTANDO: MAJOREM ACCIPIENDO: At MAXIMUM GERENDO, ET ADMINISTRANDO TE PROBAS. MAXIMUM, inquam, quia Dignitati maximæ PAREM.

III. ORATIONIS PARS. Maximus in adminiſtrando.

RELIQUA munia, Principatus, Imperia ſuos habent fines, certoſque magnitudinis terminos, quos mentis, ac virtutis præſtantiâ tranſilire quodammodo, & prætergredi poſſis, & ſuſcepto munere, atque honore major videri. Sed ubi ad eam Dignitatem deveneris, quæ, Vicariam Dei Poteſtatem apud homines gerens, ſublime Cœlo inſerit caput, nulliſque Imperium videtur limitibus definire: Huis

pro-

profectò qui se administrando Parem probaverit; supremum ille attigisse Magnitudinis apicem dicendus est. Qui enim major excogitari animus posit, quàm qui tantum æquaverit Dignitatis fastigium, quo majus excogitari non possit? Sed quando Potestatem utramque PRINCIPIS, & PONTIFICIS MAXIMI Dignitas ista complectitur; Illum ego administrando Parem existimandum censeo, qui omnia impleat Optimi Principis, ac Summi Pontificis munia. Quæ quidem quemadmodum CLEMENS cumulatissimè impleat, non vobis, AUDITORES, quibus compertissimum est, sed Posteritati universæ comprobatum volo. PRINCIPIS est, subditorum sibi Populorum Felicitati consulere: SUMMI PONTIFICIS, immortali mortalium omnium Felicitati prospicere. Utrumque ita CLEMENS præstat, ut omnium vota, spesque impleverit.

Maximus, quia PARI Dignitati maximæ.

PAR autem, quia implet Optimi Principis, ac Summi Pontificis munia.

Et primò quidem Publica illa Felicitas, quæ Principis munus est, tribus planè conficitur: PACIS TRANQUILLITATE: ANNONAE, & ALIARUM ID GENUS RERUM COPIA: BONARUM ARTIUM CULTU. Primum enim, ut sine metu vivamus; Alterum, ut commodè; Postremum, ut honestè, ac laudabiliter; Tria hæc simul colligata, complexaque, ut felicissimè vivamus efficiunt. Quam hujus triplicis boni, & felicitatis partem nobis optandam reliquit Tanti Principis Virtus, Providentia, & Felicitas? Nimirum inter circumstrepentes bello-

Munia Principis.

bellorum tumultus otio jucundiſſimo fruimur: Inter laborantes inopiâ Populos, omnium rerum copiâ abundamus: & quæ pleriſque in locis jacent Optimæ Artes, apud nos imperant, vigent, triumphant.

1. Pacis conſervandæ ſtudium. SATISNE illud mirari, vel potiùs gratulari nobis poſſumus, quòd Europâ universâ bellorum incendiis æſtuante, ſola Noſtri Principis Ditio Pacis obtinet ſecuritatem? Ejus confinia ſi prætereas: latè reſperſos cruore campos intueris: ſtrata paſſim cadavera exhorreſcis; plurimis ubique imaginibus mortis, ac terroris occurris. Si pedem territus referas, ſuaviſſimo frueris Pacis aſpectu. *In gravi Italiæ perturbatione.* Circumundique obſtrepit armorum fragor, tubarum clangor: præliantium clamores, morientium gemitus exaudiuntur. Hìc ſilent omnia: & cùm prælia, & clades nunciantur, quantùm de aliena calamitate dolere, tantùm de felicitate noſtra gratulari compellimur. Quis tantam ſibi tranquillitatem polliceri auſus eſſet, cum atram illam, collectis undique nubibus, & prægnantem fulminibus tempeſtatem, Italiæ incubantem videret; hìc, & illic ſæviſſimè detonantem audiret? Spem quidem ingentem ſerenitatis fecerat exortum CLEMENTIS Sidus. Multum præſidii in Authoritate, quam illi ſuprema Dignitas fecerat, par Dignitati Virtus cumulaverat; multum in ejus Prudentia, quâ rerum eventus longè proſpicit, & mirâ dexteritate antevertit

vertit

vertit; multum denique in eâ, quâ eſt apud omnes exiſtimatione, apud Reges, ac Principes veneratione, & gratiâ, multum, inquam, in his omnibus ad tranquillitatem præſidii ſtatuebamus. Sed cum effrenatam belli ſuaptè naturâ ſciremus eſſe licentiam; ſperabamus, non ſine aliquo metu, ne in proximo ſæviens bellicus furor, & circumvolitans turbo, nos etiam abreptos in partem calamitatis involveret.

Ditionis Pontificiæ Tranquillitas.

Ademiſti nobis hunc metum, PRINCEPS OPTIME. Spes noſtras cumulaſti. Serenitatem Pacis, tranquillitatem, ſecuritatem tenemus. Iram belli coercet Authoritas Tua; frenos imponit licentiæ; furori terminos ſtatuit. Totâ penè bacchatur Italiâ procelloſum Bellum: diras ubique tempeſtates, horrida parit naufragia. Sed ubi ad Ditionis Tuæ fines devenerit; Tuum quodammodo ſentit Numen; tumentes fluctus confringit; littora deoſculatur; atque in ſe revolutum, complicatumque decedit. Hanc belli metam, ac legem diſcordes licet invicem REGES, ac PRINCIPES, unanimi tamen conſenſu ſtatuerunt. Eâ nimirum Magnitudinis Tuæ admiratione, Virtutis reverentiâ eorum animos occupaſti; ut offenſionem Tuam quamcumque pejorem qualibet clade arbitrentur: eâ devinxiſti benevolentia; ut amorem Tuum omni victoria potiorem putent. Ex hac inſigni inter ſe diſſidientium Regum, ac Principum in Te uno ſincerè amando concordia,

ſpe-

ſperare in primis Pacis, quâ fruimur, perpetuitatem jubemur: Tum etiam confidimus, orituram inde Italiæ, atque Europæ univerſæ optatiſsimam Pacem, cui procûrandæ tot curas impendis, tot preces ad Superos, tot lacrymas fundis. Sed dum illa ſperatur, quantæ felicitatis eſt, quòd nos ea præſente lætamur? Quanta hæc PRINCIPIS gloria, qui nobis illam ſuis ipſius curis, laboribus, ſumptibus comparavit?

Quis enim tranquillitatem in hac perturbatione temporum difficillimam nullo nobis ſtaturam impendio ſperaſſet? Præſertim cum videremus, ob tutandos Imperii fines communiri arces, novos conduci milites, tot Legatos, ac Nuncios ad Principes mitti, tot denique impenſis à PRINCIPE pacis ſecuritatem parari? Jam ſublevare de noſtro Ærarii difficultatem cogitabamus omnes; nec inviti: Commune commodum ſcilicet privato ſingulorum incommodo bene redemptum arbitrati. O nos ſupra expectationem felices! Nihil oneris impoſitum Populo. Nemo juſsus eſt publicam felicitatem detrimento ſuo ſancire. Totam hanc, quam tenemus, Pacis ſecuritatem nobis OPTIMUS PRINCEPS ſuis comparatam laboribus, ſuis nutritam impendiis liberaliſsimè fruendam donavit. Pacem habemus magnis ſumptibus partam: nec tamen indè pauperiores ſumus. Unus pauperior factus eſt, Princeps. Sed ne ipſe quidem. Gratulari enim ſibi jure poteſt, Suum eſse, quod omnium eſt.

Ejuſdem ſecuritas impendio ſolius Principis parta.

JAM

JAM QUANTA felicitatis noſtræ pars eſt, quòd in hac temporum difficultate commodiſſimam nobis annonæ affluentiam, & rerum omnium copiam facit? Solet Annona, non præſentis modò, ſed etiam futuri temporis timore ingraveſcere; quin & alienæ, ac præſertim proximæ ſterilitate regionis carior fieri, ac durior. Sed Tua, CLEMENS; Providentia, atque in omnia intentus noſtræ felicitatis amor, & cura maturè præcavit, ne præſenti obeſſet futuri temporis metus; quin ut præſens copia futuri temporis metum depelleret. Nec alienis nos conflictari calamitatibus paſſus es: ſed eam inſuper omnium rerum abundantiam, & copiam ſuppeditaſti; ut exterorum etiam penuriæ Populorum ſolatio eſſe poſſit. Sed non modò Tuorum neceſſitati conſulis, verùm etiam ſplendori Urbium, atque ornamento.

Trajani Aqueductus priori Magnificentiæ, & commodo reſtitutus.

Teſtes Trajani Aquæductus Centumcellis à Te, ingenti opere, ac ſumptu, priori Magnificentiæ, & commodo reſtituti. Quibus exultaſſe gaudiis Centumcellanos exiſtimamus, cùm tot repentè ſalientes peregrinas aquas viderent, quæ læto murmure obſtrepentes, eo quo poterant modo, pollicebantur illis certiſſimè commodius commercium, frequentiores advenas, fœcundiores hortos, uberiores opes, & confirmatam clariſſimæ Urbis, ac Portûs cum dignitate felicitatem? Quàm feſtivis acclamationibus tanti Authores muneris ſalutavere,

INNOCENTIUM XII., quòd strenuè inceperit, CLEMENTEM, quòd constanter prosequutus absolverit. Uterque enim ab illis, uterque à me in hujus consortium laudis appellandus est Princeps. Neque enim verendum est, ne quod Alteri adscribimus, invidere Alteri videamur. Non eum habemus Principem, qui suas augeri alienis laudibus ferat; sed qui suæ pariter laudis prædicationem oderit, & alienæ silentium damnet, hoc laudabilior, quòd suæ laudis negligens laudari Alterum gaudet. Commendandus itaque INNOCENTIUS, quòd dignam Principe optimo provinciam susceperit: & licet ille non satis ad rem perficiendam vixerit; satis tamen ad beneficii laudem vixit: quòd perfecturus, si licuisset, inceperit.

Sed indè commendabilior es, CLEMENS, quòd in egregiis operibus, atque immortalibus non incipientis gloriam aucuparis: sed si quid ab aliis Principibus ad utilitatem publicam commodè, atque magnificè inceptum est; in id constanter insistis: & alienam laudem negligendo non invides, sed amando, ac promovendo Tuam, vel nolens, facis. At quàm Tibi peculiaris, in tanto persequendo, & absolvendo opere, laus celeritatis, atque Constantiæ? Jam enim laboris, ac sumptûs magnitudo in hac Ærarii, ac temporum difficultate, Spes nostras, ac vota in commodius tempus distulerant. Quid à Te jam optare, quid spe-

rare

rare, CLEMENS, non liceat, si quæ nobis utilia sunt, licet difficillima, & maxima celeriùs præstas, quàm nos optare audeamus? Quam de Magnitudine Tua opinionem studiosi advenæ induent? cùm intelligent, Anno tui Pontificatus secundo, eo videlicet anno, quo tot labores, & curas complexus, jactatam bellis Europam componere, Imperii tui tranquillitatem, magnis sumptibus, nullisque imperatis tributis, tutari studebas impensè; hoc, inquam, anno munera ista, usque ad antiquitatis invidiam magnificentissima, à Te liberaliter data? Sed hæc ludentis quasi Magnificentiæ, ac Populorum commodis consulentis opera sunt. Præstantiora, atque illustriora videamus.

3. Auctus bonarum Artium splendor

BONAS ARTES videlicet, animorum decora, virtutum nutrices, Reipublicæ ornamenta, ac præsidia, Sapientiâ, Auctoritate, munificentiâ intantum promovet, auget, amplificat; ut CLEMENTIS Principatus Optimarum Artium Regnum appellari meritò posit. Quando enim illis par honos habitus? Quando major in illarum Lyceis frequentia, sedulitas, ardor? Ut omnes, siquæ indecoro torpebant otio, Academiæ excitantur, & alacritate novâ vigent! Ut omnium extimulatur ingeniorum vigor, solertia exacuitur, studia inflammantur! Ut denique Artes præclaræ omnes spiritum, ac vitam splendoremque accepere! sub eo videlicet

PRINCIPE, qui omnes ita in Se Uno complectitur, ut ferè excellat in singulis. Testantur egregia ab eo edita Græcè, Latinæ, atque Etruscæ facundiæ monumenta. Testatur hæc Musarum Domus, CLEMENTE, Alumno quondam suo, superba: ubi tot Ille, ac tanta præstantis ingenii documenta, & eruditionis dedit.

Lyceum istud intraturos ducemus per loca singula, quæ ingens Alumnus, atque Hospes implevit: omnium memores, indicesque dicemus: Hìc olim CLEMENS Græcæ, ac Latinæ facundiæ Tyrocinia posuit: Hìc Eloquentiæ rudimenta capessivit: Hìc Naturæ penetralia subtilissimè scrutabatur: Illic sacras literas, altissimaque Divinitatis Mysteria incredibili Naturam omnem prætervolantis ingenii celeritate assequebatur. Hìc disertissimè perorantem, hìc Philosophica, hìc Theologica arcana explicantem sapientissimè, acerrimèque propugnantem accepimus. His artibus Ille utilissimè Pueritiam instituit; Adolescentiam constantissimè exercuit; Juventutem pulcherrimè excoluit; Provectiorem ætatem copiosissimè locupletavit. O dignum hoc apice supremi Honoris Principem, qui nunquam sibi, nunquam suis commodis, nunquam cupiditatibus vixerit; sed ætatem omnem in studiis, vigiliis, curis traduxerit! Quid ad conciliandum Bonis Artibus amorem, & cultum excogitari præsentius, atque optabilius possit; quàm

Prin-

Princeps, illis ab ineunte deditus ætate, & earum beneficio summa omnia consequutus? Quis dubitet, maximi ab Illo faciendos, ei probandos præ cæteris, qui easdem præclaras Artes, ejus exemplo, coluerint?

Sed quos insuper Authoritatis aculeos addit, cum Testis Ipse, Ipse æstimator, Ipse laudator accedit? Quos habent stimulos, quos animos, ac vires faciunt voces istæ? Sciet CLEMENS, æstimabit, probabitque. Sed non tibi satis, CLEMENS, qui non laudare tantùm bonarum Artium cultores, sed ornare muneribus soles. Huc enim præcipuè Munificentiam Tuam impendis; ut præstantissimas Artes ornes, augeas, ac dites. Has Magistratibus administrandis, fungendis Legationibus, gubernandis Provinciis destinas: & exturbatâ velut è solio Fortunâ, quæ regere, ac moderari hominum sortes vulgò solet, Felicitatis quasi arbitras esse bonas Artes jubes. Quàm præclarè, quàm splendidè, quàm fœneratum, quod ab illis acceperas, beneficium rependis? Illæ Te dignum Principatu fecerant; Tu illis Principatum donas.

Est itaque cur gratulari temporibus nostris meritò debeamus: quæ nobis eum paravere PRINCIPEM, qui Felicitatem publicam in Pacis tranquillitate tutissimam, in rerum omnium copia lætissimam, in bonarum Artium cultu honestissimam, in omnium complexione cumulatissimam procrearit.



VERÙM civilis iſta Felicitas umbra quædam, & imago eſt immortalis Felicitatis, ad quam comparare nos, ac veluti manuducere Supremus Paſtor, ac Pontifex debet. In hanc ergo CLEMENS toto pondere conſiliorum, totoque niſu mentis incumbit. Huc præcipuè SUMMI DOCTORIS Sapientiam, PASTORIS OPTIMI Vigilantiam, SANCTISSIMI PONTIFICIS Authoritatem confert: ut ad Divinarum Virtutum ſtudium, quæ ſunt beatiſsimæ ſemina felicitatis, mortales omnes inflammet.

Munia Summi Pontificis Clemens *implet.*

1. *Supremi Doctoris*

Huc illæ Cohortationes pertinent, quibus refloreſcere priſtinam eruditorum Pontificum Facundiam gratulamur. Quantam Illæ ſpirant, quàm ſolidam, nativamque Pietatem? Quæ ſermonis gravitas? Quæ vis? Quæ majeſtas? Quàm aptè congruentibus ſacrarum Literarum oraculis confertum, ac dives eloquium? Quàm inſtructa ad docendos, quàm efficax ad permovendos animos eloquentia? Quàm digna hæc Summi Eccleſiæ Doctoris cura!

2. *Summi Paſtoris.*

Clementis Vigilantia

JAM ut Paſtoris Optimi, atque amantiſſimi omnium Parentis Vigilantiam exhibet, parteſque omnes cumulatiſſimè implet! Producerem hìc tot ſanctiſſimas Leges, ab eo ſancitas, vel confirmatas, quibus Sacris Templis reverentiam, Feſtis diebus cultum, rebus Divinis frequentiam reſtituit: Intemperantiæ modum, Licentiæ frenos impoſuit:

Rectæ

Rectæ puerorum institutioni, Judiciorum æquitati, omnium denique Ordinum integritati consuluit. Celebrarem expurgatum Prædonibus Latium. Proferrem tot circumquaque missas, plenas consilio, Pietate, & Sapientiâ Literas, quibus hìc concordiam inter Principes aluit; illic Religionis integritati consuluit; alibi resurgentis Hæreseos, & perturbatione temporis ad renovandos errores abutentis audaciam retudit. Tot Legatos recenserem ac Nuncios, qui per Orbem Universum, ad remotissimas usque Sinarum plagas, Pastoris optimi Vigilantiam circumferunt.

Sed quid longinqua Vigilantiæ Pastoralis exempla quærimus, cùm domestica, cùm recentia suppetant? Revocate in memoriam, AUDITORES, tempus illud... Horret animus meminisse. Sed quando secura est præteriti periculi recordatio: quandoquidem, quod in nostram perniciem imminere videbatur, malum in tantam publicam utilitatem Dei Immortalis beneficio, & CLEMENTIS Vigilantiâ conversum est; meminisse nos decet, ne felicitatis nostræ, atque accepti beneficii videamur immemores. Revocate itaque in animum, AUDITORES, si tamen obliterari unquam potuit funestissima illius imago temporis, cùm Terra intestino tumultu concussa, domos nostras, quasi pondus invisum excuteret: cùm inconstans, ac fluctuans titubare experiremur sub pedibus solum; ruentibus similes nutare parie-

Præsertim in Terremotibus nuperis.

tes; crepitantia tecta diffringi; suspensas ubique, ac præcipites ruinas instare; præsentem undique intentari mortem intueremur. Fugiebamus huc illuc incerti, metu exanimes, & pallida viventium simulacra. Ubique præsens periculum, præsens ruina, præsens mors occurrebat. Quid enim usquam satis tutum; ubi solum illud, quo cætera stant, ac nituntur, labat? Tum verò fugam perdidit timor, fuga perfugium.

Verùm, quod communis Parens Tellus perfugium negabat, in CLEMENTE Parente Optimo invenimus. Hujus profectò Vigilantiæ debemus, quòd tanto defuncti metu, ac periculo sumus. Quid enim omisit laboris, & curæ; ut afflictam Urbem, & consternatam erigeret; ut periculi causas, & periculum ipsum averteret? Post primam Urbis trepidationem, Orationem habuit ad Sacri Collegii Purpuratos Patres, unius noctis vigiliâ elaboratam; sed eâ curâ, doctrinâ, & pietate conscriptam, ut nemo illam audiret, aut legeret, quin Pastoris Summi Vigilantiam admirabilem prædicaret. Neque hoc satis. Statim reseravit Cœlestium donorum Ærarium: ut immortalitatis arrhâ donatis non modò periculi metus minueretur; sed mors ipsa propè esset in votis. Indixit publicas preces, supplicationes, jejunia. In singulis ferè Templis tot Pietatis exercitationes instituit, ubi certatim omnes de placandâ Numinis indignatione, deque con-

confirmandis adversùs pericula, mortemque ipsam animis cogitaremus. Immensæ Orationis esset, non dicam exornare dicendo, sed vel narrando persequi tot excogitatas Artes pulcherrimas, sanctissimasque; tot sapientissima, opportunissimaque consilia, in ea rerum perturbatione tam celeriter, tam constanter, feliciterque suscepta.

Improvisus ingentis periculi metus adeò occupare, ac perturbare animos solet, ut rebus gerendis, capiendisque consiliis minùs habiles, atque imparatos efficiat. Testes ipsi sumus, qui tam præsentis periculi metu perculsi, de nobis unicè servandis sollíciti, non aliena tantùm, sed nostra etiam obliviscebamur. Tu interim, SANCTISSIME PONTIFEX, Tui unius oblitus, de nobis omnibus cogitabas. De omnibus verò? Quin & de singulis. Quod enim hominum genus, quæ natio, quæ tam abjecta conditio Tuæ Vigilantiæ curas effugit? Singulos hominum ordines, gradus, officia diligentissimè recensebas: pro singulorum salute, utilitate, solatio, quàmplurima opportunissimaque mandata expediebas: perinde ac si, secreto quodam cum Divina Mente commercio, quæ acciderunt mala, mente jampridem & cogitatione prospexisses, atque olim per otium tot consiliorum molem digessisses.

Quæ digna satis hujus Vigilantiæ prædicatio? Quæ par illi esse possit grati animi significatio? Ea

vide-

videlicèt luctuosissimi illius temporis calamitates in gratulationis materiem convertit: & nostra ipsa pericula invidenda posteris fecit. Adeò enim repentino timore excitatam Romæ Pietatem confirmavit, cumulavitque; ut nulla in posterum felicior, ac dulcior futura sit; quàm tanti periculi recordatio, quæ in omnium salutem, Pastoris optimi curâ, felicissimè redundavit. Enimverò quando Pietatem vidimus in hac veræ Fidei Arce gloriosiùs triumphantem? Quando tam frequens, tam assiduus ad Templa concursus? Quàm accuratum, quàm constans rerum divinarum studium? Quàm profusa in pauperes liberalitas? Quàm denique singularia virtutum omnium, ac præsertim difficillimarum certatim, ac palàm data ab omnibus documenta mirati, & gratulati sumus? Quid memorem interdicta in posterum Baccanalia, & scenicos ludos? Quid vana luxus ornamenta proscripta? Quid sancita in futurum sacra, supplicationes, jejunia? sanctiorem denique vivendi normam decretam ab omnibus, ac firmiter constitutam?

Non hæc Timor præstat, quem haud satìs idoneum, atque diuturnum novimus officii Magistrum. Habet ille satìs unde glorietur, atque superbiat, quòd tanti occasio fuerit Boni: Authoris laudem præcipuam Vigilantiæ Tuæ concedit, Sanctissime Pontifex: sed, & amori omnium er-

ga

ga Te sincero, qui Tibi placere, Te imitari ac sequi studebat. Praibas enim omnibus exemplo, qui omnes hortabaris verbo. Vidisti, Roma, Christianæ Pietatis monumenta religiosissimè invisentem: sacros gradus Reparatoris nostri cruore respersos positis humi genibus numerantem; ut quot pietatis osculis Dignitatem deprimere, totidem gloriæ gradibus videretur attolli. Vidimus, non humeris hominum, non curru invectum, non equo insidentem, sed ægrè, propter debilitata recenti morbo crura, pedibus nitentem, moliri viam plurimo infectam luto, atque imbriferi Cœli inclementiam detecto capite dissimulantem incedere. Ibat immistus circumfusæ supplicantium Turbæ, solâ corporis Proceritate, ac Pietate spectabilior: quæ quantùm se reliquis immiscere studebat; tantò supra reliquos eminebat. Vidimus Apostolorum Principis Templum lugubri pompâ adeuntem, ubi sacris operari tantâ cum Majestate, ac Religione consuevit. Jam inter illos Urbis terrores, atque discrimina illacrymabatur alienis periculis. Intereà sui securus, Orbe concusso, rebus Divinis constantissimè instabat: & novus Moyses in suum potiùs converti caput precabatur mala, ut eadem à Populo deprecaretur: seque Ipse Summus Sacerdos pro Populo victimam offerebat. Hæc tanti Pontificis Pietas Tibi, Roma, ad pietatem incitamento, ad securitatem præsidio fuit: & si

3. Sanctissimi Pontificis.

Clementis Pietas, & exempli Authoritas.

tot

tot circumjectis Oppidis, Urbibus, Provinciis ingenti clade vastatis, aut Telluris haustu præcipiti absorptis, stas, Roma, soluta metu, & periculo, Pietate auctior, CLEMENTIS Pietati debes.

Sed non eam ego Pietatem tantummodò, quam eo calamitosissimo tempore, sed quam semper præ se tulit, loquor. Quid enim unquam nobis Ille exequendum proposuit, quod non Ipse prior sui exempli Authoritate firmaverit? Quam legem sanxit, quin eam ipse sibi prior indixerit? Quam Virtutem nobis commendatam voluit, de qua prior ipse luculentissima documenta non dederit? Si Liberalitatem in pauperes, atque eos præsertim, quibus illa Terrarum clades adeò parùm pepercit, ut unâ dumtaxat Vitâ superstite fortunas omnes abstulerit; Eam CLEMENS, licèt jam penè exhausto, Ærario Principis imperaverat. Si Temperantiam, & Frugalitatem; quis Eo frugalior, qui de quotidianæ mensæ sumptibus ita detraxit, ut privatorum, ac plebejorum Civium mensas Principis mensa non vincat? Sæpè nos ad omnia Christianæ Pietatis officia cohortatus est. Sed ut se in omnibus præbuit exemplar! An non expiandis criminibus publicè aures præbentem; egenorum pedes Pontificiis manibus abluentem; in Nosocomiis ægris fercula, morientibus immortalitatis pharmacum ministrantem aspeximus?

Quis continere lacrymas potuit, cùm videret Pon-

Pontificem Maximum ad Aras accedentem; ut Optimi Fratris Filiam immortali Deo in perpetuum consecraret? Illam, amore Tuo dignissimam, cùm propter eximiam virtutem, & singulares dotes haberes charissimam, CLEMENS, Magnæ profectò Fortitudinis fuit; quòd à Te divelli permiseris: Majoris, quòd heroicum Virginis consilium approbaveris: Maximæ, quòd tam novo spectaculo interfueris. Quid, quòd eo vultu interfueris, quo genialibus nuptiis interesse homines solent? Quid etiam, quòd incruentam, ac purissimam Victimam Tuâ veluti manu immolaveris, Idem Ipse Sacerdos, & penè Victima?

Fratris Filiam inter sacras Virgines Deo consecrat.

Hæc sanè dum præstas, Imaginem Pontificis Maximi exhibes, quam demirari quidem universa cogetur Posteritas, utinam imitari contendat! Oneras futuros Principes, CLEMENS: sed & Posteros nostros. Isti enim, quòd non eadem fortasse præstari videant; Illi quòd eadem præstare non sine ingenti difficultate possint, graviter ferent. Sed hoc utrisque solatium esto: quòd meliora sortientur tempora, quæ nec Tantæ Virtutis, ac Magnitudinis Moderatorem postulabunt, ejusque desiderium faciliùs ferent. Quando enim diuturno experimento comperimus, hunc esse Divinæ in homines Providentiæ morem, ut pro ratione temporum Orbi Catholico Moderatores sufficiat; Nostra hæc tot inter se complicatis pressa calamitatibus

tibus tempora Moderatorem planè Maximum postulabant.

QUAE CUM ITA SINT; erit ne, qui adulari me putet, cùm Eum in administrando Pontificatu MAXIMUM appello, quem constat, ita omnia OPTIMI PRINCIPIS, ac SUMMI PONTIFICIS munia cumulatissimè implere; ut Supremæ PAREM Dignitati se probet? Non id à vobis, AUDITORES, percunctor, quorum ego novi suffragia, sensus intueor. Sed eritne alius fortasse quispiam, quem à vobis, atque à me dissensurum putemus? Erit? Est procul dubio, atque is unus est, qui reclamantibus cæteris omnibus, CLEMENTEM Supremæ huic Dignitati administrandæ imparem putat, ac prædicat. Quis Ille? CLEMENS Ipse: CLEMENS unus CLEMENTEM imparem putat, ac veris lacrymis profitetur. Laudo, CLEMENS, quamvìs assentiri non possim. Felix error, qui Te commendabiliorem, nos feliciores facit! Quid enim felicius nobis, quid per se præstabilius, quàm Princeps, ita pariter Magnus, ac Moderatus, qui se parem probet, imparem putet? Quæ vota de felicitate nostra suscepit OPTIMUS PRINCEPS, & SANCTISSIMUS PONTIFEX, qui cum nos PACIS TRANQUILLITATE, RERUM OMNIUM COPIA, BONARUM ARTIUM CULTU felices effecerit: cum tot SAPIENTIAE documentis, tot VIGILANTIAE conatibus, tanto AUTHORITATIS incitamento,

tam

tam ſtudioſè, tam ſollicitè, tam efficaciter immortali Omnium felicitati proſpiciat; adhuc tamen non ſatìs, quod ſuum eſt, ſe præſtare arbitratur?

Quò majores nos decet immortali Deo gratias referre: quòd talem nobis PRINCIPEM, ac SUMMUM PONTIFICEM dederit: illudque enixis precibus flagitandum aſſiduè, ut diu ſervet, ac de noſtris etiam Ipſius annos augeat: Ipſius conſilia, & vota ſecundet, atque impleat: ut Quem Virtus MAGNUM IN DETRECTANDO PONTIFICATU, MAJOREM IN ACCIPIENDO probavit; IN ADMINISTRANDO MAXIMUM non Virtus tantummodo, ſed Imperii diuturnitas, & cumulatiſſima, quam meretur undecumque felicitas, probent. Dixi.



INNOCEN-



INNOCENTII XII.

PONTIFICIS MAXIMI

P R O V I D E N T I A.

ORATIO FUNEBRIS.



ECTORES hominum nulla magìs commendat virtus, quàm Providentia. Eſt enim iſthæc Regalis planè ac divina Virtus, quæ publicæ Præſes felicitati, reliquas omnes ſibi adminiſtras habet comiteſq; virtutes: Adeò ut Una hæc Reges, ac Principes imperio dignos, ac regimini pares oſtendat. Quamobrem Summus Pontifex, qui Vicariam in terris Dei Majeſtatem præ ſe fert, & Catholici Orbis curam, ac regimen ſuſcipit, hâc potiſsimum laude excellat, oportet: atque ut parem Se tanto Muneri præbeat; parem Dignitati Providentiam exhibeat, neceſse eſt. Id unum qui faciat, Pontificem ſe verè maximum probat. Fecit INNOCENTIUS XII., quem in hâc funeris pompâ non tam lacrymis proſequi

ſequi debemus, quàm laudibus. Providentiam Ille, quâ nulla excogitari auguſtior, nulla divinior poteſt, in Summi Pontificatus adminiſtratione, & Catholici Orbis regimine exhibuit: Illius videlicet Imaginem Providentiæ, quâ rerum omnium opifex Deus Orbem univerſum moderatur, ac regit. Hanc ſibi perpetuò contemplandam, imitandamque arbitratus, id tam gloriosè ac feliciter præſtitit; ut eas ipſas, in ſe imitando converterit, ſibique peculiares effecerit, Dotes, quæ Divinæ Providentiæ omnino peculiares ac propriæ, totam ſpirant Divinitatem, atque admirationem potiùs à nobis, quàm imitationem expoſcunt. Nihil de Summo Pontifice, nihil de INNOCENTIO prædicari majus poteſt. Hoc itaque Orationis meæ argumentum eſto: INNOCENTIUS DUODECIMUS in Summi Pontificatus Regimine Divinæ Providentiæ Imaginem abſolutiſſimam præbuit: Cum peculiares ipſas Divinæ Providentiæ Dotes, Peculiares Providentiæ Suæ laudes effecerit. PROPOSITIO.

Enimvero. Tria præſertim ſibi peculiaria, ac propria vendicat Supremi Numinis Providentia. Primum, quòd ita rebus omnibus providet; ut ab iis utilitatis nihil, aut detrimenti ſuſcipiat. Alterum, quòd ita rebus univerſis intendit, ac ſi vacet à ſingulis; atque ita pariter intendit ſingulis, ac ſi vacet ab univerſis. Tertium denique, quòd præſentibus intenta in futurum proſpicit, atque

omnibus unà ſimul temporibus providet. Primum Divinæ Infinitatis eſt, alterum Immenſitatis; poſtremum Æternitatis. Cum enim Deus per ſe ſe infinitus ſit omnium bonorum Oceanus, cui nihil addi poſſit, aut demi; ut nihil jacturæ ex perpetua in res omnes creatas derivatione bonorum; ita nihil utilitatis poteſt ex earum gubernatione percipere. Et cum eâ, quâ omnia implet, Immenſitate, toti Mundo (ut cum Romano Philoſopho loquar) inſertâ, rebus omnibus totus, ac totus ſingulis intimè præſens, atque inſertus ſit; tam facilè providere omnibus, quàm ſingulis poteſt, ſequenon tam in magnis magnum, quàm in minimis maximum exhibere. Denique cum interminabilis vitæ totâ ſimul, perfectiſſimâque poſſeſſione perfruatur, & è quadam veluti Æternitatis ſuæ ſpeculâ ætates omnes, ac tempora unicò intueatur obtutu; Unus ſimul omnibus providere temporibus poteſt.

Seneca.

Cum tam peculiares iſtiuſmodi ſint Divinæ Providentiæ dotes, cum totam ſpirent, atque præſeferant Divinitatem; quis unquam putaſſet, inveniri poſſe tantæ magnitudinis Virum, qui eas ipſas referre, atque æmulari contenderet: Idque ita re ipſa præſtaret; ut peculiares Providentiæ ſuæ laudes efficeret? Præſtitit INNOCENTIUS, Qui, Divinæ veluti particeps Infinitatis, nihil ſibi utilitatis, ſed & detrimenti nihil ex tam diuturna Catholici Orbis gubernatione ſuſcepit. Divinæ veluti ſocius Immen-

DIVISIO.

mensitatis, ita universis intendit, ac si vacarit à singulis; atque ita pariter intendit singulis, ac si vacarit ab universis. Divinæ veluti coævus Æternitati, dum præsentibus intenderet, in futurum providit, ac subsequentium sæculorum felicitati prospexit.

QUOD quidem ne à me temerè dictum quis putet, singula per suas partes conficiam. Ac primum ajo atque affirmo, nihil sibi utilitatis INNOCENTIUM ex Summi Pontificatus vel redditibus, vel commodis, vel honoribus suscepisse. Jis contentus opibus, quas secum ad Principatum tulit; quas per tot regiones, cum Præfecturas, Legationes, aliaque amplissima munera obiret, circumtulit; quibus apud Reges, ac Principes, ac Cæsarem ipsum singularem sibi existimationem, benevolentiam, venerationemq; conciliaverat; quibus demum Summi ipsius Pontificatus apicem adeptus est: Innocentiâ videlicet omni ex parte integerrimâ, Magnanimitate, Moderatione, Charitate, aliisque omnibus virtutum præsidiis, atque ornamentis; His, inquam, opibus abundè dives, nihil sibi ex ærario Principis, nihil ex redditibus Pontificiæ Dignitatis adscivit. De suo vivere solitus, ac paternæ hæreditatis sumptibus mensas instruere: Atque ut eos ipsos privatos redditus in publicæ utilitatis tributa converteret, in quotidiana vivendi

I. ORATIONIS PARS.

I. Innocentius nihil sibi utilitatis cepit ex Sūmi Pontificatus.

Redditibus.

Innocentii Frugalitas.

ratione eam sibi frugalitatem indixit; ut privatorum civium mensas Principis mensa non vinceret: Adeò ut nihil inter privatum interesset, ac Principem; nisi quòd moderatior Princeps, ac frugalior videretur, atque hòc major, quia melior. Cum tantâ Principis abstinentiâ moderatio in corporis cultu certabat. Moderatio dico? an potiùs, novum in Principe decus, Paupertas? Vidisses Pontificem Maximum obtritas, ac penè laceras vestes

Paupertas. Pontificiæ Dignitatis insignibus dissimulantem: Adeò ut dum majestatem Dignitati parem præseferret exteriùs; interiùs Paupertatem foveret Dignitate ipsâ chariorem.

Noveras, sapientissime Pontifex, magnas habere opes Parsimoniam Principis, eamque perennem esse publicæ utilitatis fontem. Hinc tanta Sæculo tuo annonæ copia; ut agris ipsis fœcunditatem fons hic attulisse videretur. Uberrimam certè Liberalitati, ac Magnificentiæ Tuæ materiem suppeditavit. Ut minùs jam mirer tot effusas opes, quà in sublevandis pauperibus, quà in redimendis captivis, quà in remittendis oneribus, quà denique in extruendis tot elegantissimis fontibus, atque erigendis tot augustissimis molibus, quæ antiquitatis memoriam revocant simul, obruuntque. Cum tot largitiones, ac munera, usque ad vetustatis invidiam, munificentissima à Te liberaliter data perpetuò contemplanda se objiciant; haud satis scio, quid

quid commendare magis, ac demirari universa Posteritas debeat? An tot molitricem operum Magnificentiam? An tot largitricem munerum Parsimoniam?

At enim. Qui nihil sibi ex Pontificii Patrimonii Redditibus, num aliquid ex tantæ Dignitatis commodis sibi usurpandum putavit? Adeò semper negligens sui, & patiens laboris; ut planè constet, sola onera Imperii ab Eo esse suscepta. Nunquam sibi vacare: assiduam sui copiam adeuntibus facere: somnos brevissimos capere: tam denique nihil de valetudine, nihil de sublevandis tanti muneris curis, ac laboribus cogitare; ut ex quo Principem induit, se hominem esse videretur oblitus. Nunquam tamen oblitus se esse mortalem, honestissimam illam, quæ ab honore percipitur, animi voluptatem mortis cogitatione, quodam veluti felle aspergebat; ut ne hunc quidem utilitatis fructum, seu potiùs laborum solatium, ac lenimentum curarum ex tam onerosâ Dignitate susciperet. *Commodis.* *Contemptus sui.* *Honoribus.*

Documento est Sepulcralis Urna, quam vel ab ipsis Imperii sui incunabulis Sibi extrui jussit: ut exuvias, non tam perituræ mortalitatis post funera conderet, quàm peremptæ cupiditatis multò ante funera tumularet. Quàm sapientis animi est, in summa fortuna mortis cogitationem, adeò fortunæ honorumque illecebris adversantem admittere? In *Urna, sepulcralis.*

ſupremo rerum humanarum faſtigio, extremas conditionis humanæ vices, & fata meditari? Inter acclamationes Populorum, quibus vita nunciatur, ac diuturna promittitur, mortem cogitatione prævertere? In eâ demum Dignitate, quæ proximè ad Divinitatem accedit, ſe mortalem agnoſcere; nec mortalem tantummodo, ſed moriturum; nec moriturum dumtaxat, ſed jàm ſuis cupiditatibus mortuum comprobare?

Piget hìc Imperatoris Græci meminiſſe, qui cœnare fictilibus, atque aureis vaſis lutea immiſcere conſueverat: Ut Se Patre figulo genitum recordaretur, quò minùs Regali Dignitate intumeſceret. Quantò ſapientiùs Sanctiſsime Pontifex, cum nihil humile à nobiliſsimis Parentibus Tuis hauſeris, cum nihil non auguſtum, in recenſendis Avorum tuorum imaginibus, ac præclariſsimis geſtis deprehenderes; ut animum tamen, in ſupremo illo Dignitatis apice, moderareris, atque demitteres, in Templo totius Orbis Principe, ubi terreſtre Dei ſolium conſcendis, ſepulcralem Urnam, Tuis condendis cineribus ſacram ſtatuiſti? Ut quoties Ædem illam auguſtiſſimam, ad obeundas Dei vices, ac divinos excipiendos honores, ingredereris, toties viſendus ocurreret tumulus, qui Te hominem eſſe admoneret, atque honorum finem, quò faciliùs contemneres, præmonſtraret? Sed non injucundum erit, opinor, Auditores, molem hanc, Sibi à munificentiſsimo

Agathoclis.

Prin-

Principe extructam diligenter intueri. At hoccine, Deus immortalis! Hoccine, inquam, Summo dignum Pontifice, dignum INNOCENTIO Mausoleum? Breve, atque humile saxum, rudi operâ levigatum, simplici titulo inscriptum, nullis asperum signis, nullis ornamentis conspicuum! Adeò nimirum Te ipsum neglexeras, Sanctissime Pontifex; ut vel ab ipsa negligi posteritate exoptares! Intantum honores contempseras; ut eos etiam, qui sequuntur funera, detrectaveris, omnes, si posses, detrectaturus. Pulcrius fortasse existimabas, in Posteris tuis affinibus, quam in lapidibus vivere.

Cum enim Nepotes quædam sint Avorum suorum Imagines, in quibus superstites vivimus; eos præcipuè curamus felices efficere, quò in illis feliciùs vivamus. Eos idcircò studemus augere opibus, ornare muneribus, insignire titulis: ac nobis ipsis datum, quod illis impendimus, arbitramur. Quid ergo INNOCENTIUS, cui tam uberem copiam, ad locupletandos, extollendosque Nepotes suos, vel Dignitas, vel Parsimonia suppeditabant? Quid, inquam, illis largiendum, aut impertiendum putavit? Citò dicam: Nihil. Videlicet non sibi satìs sui videbatur oblitus, nisi etiam suorum oblivisceretur. Neminem sibi sanguinis affinitate conjunctum, hoc nomine, augendum censibus, aut Dignitatibus præficiendum existimavit. Atque hòc maximè à se haberi ut suos ostendit: quòd ita cum *Nihil in Suos derivavit.*

illis agendum putavit, ac secum: & qui profusissimè in reliquos liberalitatem, severissimè in Suos paupertatem exercuit. Nimirum, ut cum suis dumtaxat commune haberet Decus illud eximium ac suum: Nihil utilitatis ex tanta Dignitate suscipere.

2. *Nihil tamen detrimenti passus est.* Magnum id profectò ac planè Divinum, quòd ex tantæ Dominationis opibus, commodis, honoribusque, nihil unquam in Sui, aut Suorum derivaverit utilitatem. Sed non satìs divinam imitaretur Infinitatem; nisi pariter dum nihil utilitatis in se, suosque derivat, detrimenti nihil passum esse constaret. Quid enim? An ideò pauperior factus est INNOCENTIUS, quòd Ærarium Principis in publicam utilitatem effuderit? Pauperior non est, qui propterea nihil habet, quòd donat omnia. Non est fons ullus aquarum egentior, quòd eas jugi quodam lapsu, ac celeri perennitate profundit. Nec ullâ parte luminis diminutus est Sol, ex quo totus explicari mortalibus cepit. Quin hòc maximè dives *Quin hòc ditior?* INNOCENTIUS, quòd Se unum pauperem esse pateretur, ut omnes divites faceret. Cum enim eâ, quâ indigentes charitate complectebatur, omnium calamitates in suas converteret, sibi dabat, quod omnibus dabat. Et cum amore illo, quo invicem redamabatur ab omnibus, Parentis amantissimi loco haberetur; gloriari meritò poterat, suas esse opes omnium, & singulorum. Quid quòd vel ipsi sapientiores veteris Philosophiæ Doctores, Eum verè

divi-

divitem esse constanter statuebant, non qui haberet multa, sed qui cuperet nihil: & qui paucis contentus, paucis indigeret, cum Diis simillimum nuncupabant, cum Deos nullius rei indigentes, atque adeò *r'aön à'gontas*, idest facillimè viventes appellare consueverint. Hòc itaque verè dives INNOCENTIUS, quòd sibi cuperet nihil: Hòc Deo simillimus, quòd quàmpaucissimis contentus facillimè viveret; quàmpaucissimis indigeret, ut omnia indigentibus daret. Seneca. Socrates. Homerus.

Sed & hòc etiam Beatior, quò publicis curis, & laboribus gravior Se omninò negligeret, ut Se totum in commune bonum impenderet. Magno videlicet, ac sapienti Viro ex ipsis laboribus, pro publica felicitate susceptis, jucundissima quædam promanat voluptas, quæ ad novos suscipiendos labores alacriorem semper, atque in iis perferendis lætum, ac beatum facit. Hinc inexplebilis illa novi semper aliquid ad publicam utilitatem moliendi cupiditas, quâ vehementius in dies flagrabas, Sanctissime Pontifex: adeò ut, cum tot, ac tanta præstiteris, Unus tamen nunquam satis quod Tuum est Te præstare arbitrareris. Testes hìc appello, vel ipsas lacrymas tuas, ac doloris voces. *Hìc Beatior*:

Jam senio gravis INNOCENTIUS, augustâ proceritate, ac mole corporis gravior, pedum fallente vestigio, periculoso lapsu, resupinus humi ceciderat. Eo ruente, omnium spes, & gaudia simul rue-

re

re visa sunt. Amantissimi periculo Principis mærens, & consternata metu ad Pontificias Ædes Civitas universa confluxerat. Quid interea INNOCENTIUS? Cum videret omnium luctum, dolorem, & lacrymas; cum populi gemitus, & suspiria exaudiret; Quid interim Ipse, qui lugebatur? An non lugeret? An non doleret casum suum, quem nemo non dolebat? An non lacrymaretur, quod omnes lacrymabantur? Indoluit, lacrymatus est: sed non casum suum indoluit, non ingravescentis morbi cruciatus, non præsentissimum ipsum mortis periculum. Id omne constanter dissimulat, Sui
Constantia. ut solebat, securus ac negligens: omnia fortiter, atque alacriter perfert. Unum dolet, & lacrymatur. Quid illud? Audite pulcherrimi doloris voces, & causam. Quid hactenus, inquit, in publicam utilitatem contulimus? Quid hucusque fecimus, undè hunc casum Civitas tam graviter doleat? Hæc Ille cum diceret, obortis, ac spontè fluentibus lacrymis perfundebatur. O voces! O lacrymas optimo dignas Principe, optimo dignas Pontifice, dignas INNOCENTIO! Intantum scilicet in sustinendis Tanti Imperii oneribus, in tot magnorum operum exantlandis laboribus delectabare, Sanctissime Pontifex; ut ad ea, quæ majora in dies moliebare, animum semper, ac vires intenderes, atque omnia simul perferre exoptares! Adeò prætoritorum oblitus; ut postquam Orbem jam univer-

ſum tuis ingentibus factis impleveras, poſtquam remotiſſimas gentes Magnitudinis Tuæ admiratione conjunxeras, nihil tamen Te præſtitiſſe exiſtimares, idque veris lacrymis profitereris: Id unum Tibi, in tam gravi morbo, in tanto vitæ diſcrimine, cauſam doloris, & lacrymarum afferret. Hæc una ſcilicet doloris materies, cui una eſt gaudii materies, bene de omnibus promerendi labor.

Jam verò, qui in paupertate divitias, in laboribus gaudium invenit; Quid in honorum contemptu? An aliquam honorum jacturam paſſum eſſe credamus? Cum ſciamus, eam eſſe honoris indolem, atque naturam; ut non ſecus, atque umbra, corpus, ſequentes fugiat, fugientes ſequatur? Hòc ſanè honoratior INNOCENTIUS, hòc ſummis honoribus major, quòd ſummos honores contempſerit. Hòc Ille Auguſtior habitus, hòc Divinior; quòd in tam auguſta Dignitate, in tantâ Divinitatis ſpecie Se infra mortalem mortis cogitatione demitteret. Hòc denique toti Poſteritati commendabilior, quòd à Totâ commendari poſteritate neglexerit. *Hòc Honorabilior.*

Tuam illam ſepulcralem Urnam [Pręſentem enim alloqui videor INNOCENTIUM, qui omnium pręſens erit memoriæ ſæculorum] Tuam, inquam, ſepulcralem Urnam, quam ideò tam exiguam conſtruxeras, ut intuentium oculos fugeret; ideò tam humilem, ut penè contemptui haberetur, demirari univerſa Poſteritas, ſuiſque laudibus in Cœlum efferre

ferre non desinet. Jamque non Urnam vocat, sed Aram. Videre videor Apostolorum Principis Templum invisentes Advenas, nunc universa, nunc singula illius Ædis miracula, ac tot Summorum Pontificum Monumenta studiosissimè perlustrantes. Quàm dispari tamen admiratione, quàm diversis affectibus Tuum, ac reliqua contemplantur? In illis sumptus magnificentiam, lapidum pretium, operis elegantiam mirantur. In Tuo gloriæ contemptum, atque animi Tui Moderationem, omni magnificentiâ grandiorem, omnibus pretiosiorem lapidibus laudant. Ibi Artis, hìc Virtutis miraculo stupent. In illis hærent jucundiùs; utiliùs in Tuo. Indè voluptatem hauriunt, hinc Pietatem. Illa denique mirantur, adorant Tuum. Faciet Posteritas universa: & lapidem illum Tuis sacrum exuviis si quando consumet Vetustas; nova semper in omnium mentibus cordibusque monumenta, non Tuis cineribus, sed Tuis Virtutibus sacra consurgent.

Hòc, & Sui Feliciores: Quid denique, quòd eam ipsam, quam neglexisti, in Tuis obtines immortalitatem? Cum ne ipsis quidem conditio deterior acciderit, quòd Tuo erga illos amori nihil indulseris. Accessit enim illis hâc potissimùm causâ major quidam honor, ac reverentia. Tua hæc penè incredibilis Virtus, quæ Majorem Te, atque Admirabiliorem, Majores illos pariter, atque Admirabiliores facit. Hòc magìs hono-

honores illis deferre certámus: hòc magis mereri prædicamus, quòd eos à Te non acceperint. Hinc sapientissimo sanè consilio, CLEMENS, Pontifex Maxime, FRANCISCUM PIGNATELLUM, INNOCENTII Virtutes, ac merita, non tàm sanguinis cognatione, quàm morum imitatione attingentem inter Purpuratos Patres adscribere festinasti: Idipsum testatus; meruisse jam pridem, qui ab INNOCENTIO deligeretur; hòc magis mereri, quòd ab Eo prætermissus. Cum itaque optimum Præsulem, plenum suis, & INNOCENTII meritis onustum videres; ratus nihil esse, quod non mereretur; nihil omittere studuisti: quò Tuæ erga Tantum Pontificem venerationi, ac Pietati; erga illius Consanguineum, præstantissimum Virum, existimationi, atque amori; quò demùm Utriusque meritis facceres satis. Idcircò vel in ipso Tui Pontificatus exordio, Primum omnium delegisti: seorsum ab omnibus inaugurasti: Ad Eum Fratris Tui Filium misisti, qui Dignitatis ferret insignia. Denique quod INNOCENTIUS gloriosè omiserat, gloriosiùs implevisti. Card. Pignatellus.

Tibi verò, Cardinalis amplissime, quantò majorem cessit in gloriam, quòd honestissimam Dignitatem à CLEMENTE susceperis, quam ab INNOCENTIO merebare. Majus quiddam fuit ab INNOCENTIO novum hoc beneficii meritum accipere, quàm beneficium. Vivet itaque in Te Domestici Quo honore delectus.

Ge-

Generis Gloria INNOCENTIUS, atque eò feliciùs vivet, quò minùs videtur consuluisse Felicitati Tuæ.

En itaque, Auditores, quemadmodum INNOCENTIUS XII., qui nihil Sibi utilitatis, nihil Suis ex tanti Imperii, ac Dignitatis administratione percepit; ut nihil etiam Sibi, nihil Suis detrimenti ex tanta abstinentiæ, ac moderationis severitate susceperit. Primam illam assequutus tàm Peculiarem Divinæ Providentiæ laudem, quæ supremi Moderatoris Infinitatem arguit, ac præfert. Jam ut alteram ejusdem Divinæ Providentiæ laudem, quam Immensitatis suæ beneficio sibi vendicat Supremus Mundi Gubernator, & Rector, quòd ita se totum universis impendat, ac si vacet à singulis; atque ita se totum impendat singulis, ac si vacet ab universis; in se imitando transcripserit INNOCENTIUS, Sibique peculiarem effecerit, videamus.

II. ORATIONIS PARS.

Innocentius. Totus in publica felicitate.

PRIMUM enim Quicumque susceptas ab Eo curas, & res gestas amplissimas æstimando recenseat; in eam profectò cogitationem deveniet: ita semper Optimum Principem, Maximumque Pontificem se totum publicis rebus, & communi impendisse felicitati; ut non modò feriari à singulis, sed vel à seipso vacare cogeretur. Quid enim unquam, ad felicitatem publicam, vel præparandam, vel sanciendam pertinens, tàm fuit abditum, ut latere; tàm arduum, ut deterrere; tàm laboriosum, ut fatigare Tanti Pontificis Providentiam potuerit.

Ut

Ut prima veluti jaceret fundamenta felicitatis, abigendas primùm esse populi calamitates, atque ejusdem commodis consulendum putavit. Statim Annonæ caritatem diminuit: haud ita multò post ejusdem peperit vilitatem. Vicies quinquies centena aureorum millia ex vectigalibus populo indulsit. Quin immensâ propè vi pecuniarum in pauperes distributâ, suam Ipse vectigalem populo fecit Liberalitatem. Jam ut subditorum Sibi Populorum commodis abundè prospiceret, quàm sapienti consilio, quàm regali sumptu, novas ad Ripam Tiberis porticus, novas ædes, ad mercium asportandarum facilitatem extruxit? quò commodior ab Urbe Româ ad reliquas Principatus partes commeatus fieret, ac liberiùs ab Imperii corde reliqua membra calorem, ac spiritum, per Tiberis venas, haurirent. Quin etiam, ut remotissimas Terras toto mari divisas cum suæ Ditionis finibus, ad mutuam utilitatem, connecteret; Antii Portum non modò instauravit, amplificavitque: sed eâ insuper majestate, ac specie exornavit; ut Nationes exteras utilitate permoveat, pulcritudine alliciat, admiratione percellat. Illud verò quàm totam præ se ferens veterum Imperatorum magnificentiam, quòd Trajani Aquæductum vetustate jam obrutum pristinæ utilitati, ac Dignitati reddere instituit; Ut Portus celebritati, populorum commodis, agrorum fœcunditati, Regni affluentiæ consuleret! Hæc tàm illustria, aliaque id gene-

Præparandâ.

Ab Innocentio Annonæ vilitas parta.

Vectigalia remissa.

Eleemosinæ pauperibus erogatæ.

Vulgò Ripetta.

Portus Antii.

Trajani Aquæductus.

generis multa Regalis Magnificentiæ monumenta, quædam felicitatis, quàm moliebatur, initia, ac fundamenta extitere.

Noverat scilicet Sapientissimus Princeps, quod non Philosophorum Principis tantùm, sed omnium sancitum est consensu sapientium: Non commodè solùm, atque magnificè, sed præsertim rectè vivere, veram esse felicitatem: atque eam demùm felicem esse Rempublicam, in qua bonæ leges vigeant, boni mores colantur. Eò propterea INNOCENTIUS præcipuas Providentiæ curas convertit, ut legibus honorem, moribus adderet probitatem.

Sanciendâ.

Vagabantur quodammodò in Urbe incertæ Leges, ac Magistratus: plurima passim hospitia, nullum uspiam par dignitati domicilium habebant. Adeò ut, quoties ad dirimendas lites consulenda erant Judicia; huc illuc ferri Clientes, & in Urbe Roma peregrinari oporteret. Donec INNOCENTII PROVIDENTIA amplissimam omnibus Curiam à fundamentis erexit: tantâ operis magnificentia, ac majestate, ut vel ipsas Principis Ædes non æquet modò, sed vincat. Nimirum ut intelligerent omnes, non minorem Legibus reverentiam deberi, quàm Principi: & sub INNOCENTII Regno, non tàm Principem regnare, quàm Leges.

Curia Innocentiana.

Abundè, ac magnificè legum Dignitati provisum est. Nunc morum integritati providendum. Fecit Vigilantissima Tanti Pontificis Providentia: &

pri-

primò excisis, atque sublatis publicis Scænis, quæ longo abusu, tandem in corruptelas morum defeci- verant, ac lenocinia vitiorum. Haud satis scio, magisne, ac laudabiliùs publicæ felicitati provideris, Princeps Optime: vel cùm ad augendam legum majestatem, Molem illam tam splendidè, magnificèque adornari; vel cùm ad evertendas vitiorum machinas, Theatra publica everti, tàm fortiter, constanterque imperasti. Indè intelleximus, quanto in honore à nobis habendæ essent Leges, quas tanto Ipse honore prosequebare. Hinc intelligimus, quanto à Nobis odio habenda sint Vitia, quæ tanto Ipse odio insectaris. Quis non vidit, quàm severus peccantium animadversor futurus esses, qui vel ipsis peccandi occasionibus adeò vehementer irascebare? Quàm omninò inexorabilis adversùs sectatores vitiorum, qui nunquam exorari potuisti; ut vel ipsis parietibus, inanimis vitiorum testibus, parceres? Æquissimum utrumque, ac Tuum: & quòd nec virtutem sine præmio esse pateris, nec vitium sine supplicio.

Theatrum Vulgo Tordinona

Sed quorsum tàm infestum Te pravis moribus exhibebas; nisi, ut iis depulsis, bonos inveheres, ac foveres? Sustulisti vitiis domum, ut virtutibus dares. Occurrunt passim intuentibus ampla, & magnifica Domicilia, & Collegia, Tuis Imperiis, ac sumptibus, quà popularibus, quà liberalibus artibus erecta: ut & Romana plebs, & Juventus in-

Collegia erecta.

genua, ab otii ſinu divulſa, non artibus tantùm Reipublicæ utilibus, ſed præcipuè moribus optimis excoleretur.

Verùm ex hac legum reverentia, & morum inſtitutione, civilis quædam conſurgit felicitas, quæ licèt Optimi Principis Providentiam cumulatiſſimè impleat; non tamen omnes explet Summi Pontificis partes, quem non Reipublicæ tantùm, ſed Religionis præſertim felicitati proſpicere oportet. Atquì huc ſemper INNOCENTIUS toto Providentiæ conatu, toto pondere conſiliorum, totoque niſu mentis incubuit: Ut Religionis cultum, quàm maximè intenderet, & quàm latiſſimè amplificaret.

In Religionis cultu promovendo.

Quid memorem demptas Paræciis Penſiones, ut in Templorum decorem, & cultum converterentur? Quid inſtructas domos, atque ampliſſimo cenſu dotatas: ut rerum cœleſtium meditationibus excolerentur animi, atque ad divinarum virtutum ſtudia inflammarentur? Quid inſtauratam Clericorum diſciplinam, atque iis erecta, vel confirmata Seminaria: ut ſacris ritibus, ac ſanctiſſimis moribus, Religionis magiſterio, imbuerentur? Quid denique quòd præcipuus Ipſe Religionis cultor, omnes in Te uno virtutes complexus, Tuis ipſe, non tàm conſiliis, quàm moribus, omnium mores formabas? Vita enim Principis cenſura eſt, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur; ut propè unius moribus omnes vivamus.

Penſiones remiſſæ.

Vulgò Casa per Eſercizj Spirituali.

Plin. Traj.

Sed

Sed quo flagrabas Religionis Zelo, non satìs ducebas, si ejus cultum intenderes, nisi etiam toto Orbe extendere nitereris. Hìc verò, quàm ingens mihi se aperit dicendi campus, si angustiæ temporis ferrent? Quam enim orationem exposcerent tot excogitata consilia, tot effusæ preces, & lacrymæ: ut dissidentes invicem Christianos Principes, optatissimæ vinculo pacis, connecteres: ut sociato fędere, adversùs Catholicę Religionis hostes, arma converterent: iis bella gererent, veros habitura triumphos. Tot ad falsis dedicatas Numinibus Gentes, atq; ad incognitas Terrarum plagas, Expeditiones imperatæ: Ut Providentię Tuę, Orbem utrumque perlustrantis beneficio, mortales omnes, si fieri posset, ad Orthodoxæ Fidei notitiam, & cultum, atque ad spem immortalis felicitatis excitarentur. Tot demùm administrata subsidia: quà Regi Hispaniarum; ut Hæreticorum, in Americæ Insulas ad Religionem labefactandam irrumpentium, impios conatus comprimeret: quà Britanniæ Regi; ut in spem restituendæ in Angliam Religionis foveres, aleres, ac sustentares. Quis non videat, Providentiam Tuam ita semper in promovenda, quà Reipublicæ, quà Religionis felicitate occupatam; ut nedum de singulis hominum rebus, sed vel de Tuis ipsis cogitare vix posses?

Amplificando.

Lucan.

Missiones ad Idololatras.

Subsidia Regibus ab Innocentio subministrata,

Sed quem ita universis intentum vidimus, ac si vacarit à singulis; nunc ita singulis intentum videbimus, ac si vacarit ab universis: adeò ut divinæ velu-

Idem Innocentius Totus in singulis.

veluti æmulus Immensitatis, ubique Se totum reddidisse præsentem videretur. Totus nimirùm, quà in pernoscendis, æstimandisque singulorum meritis, quos Reipublicæ, ac Religionis ministerio præficeret; atque in iis perpetuò regendis, ac moderandis, quos muneribus publicis, dignitatibusque præfecerat: Totus in privatorum hominum, ac præsertim egenorum repellendis calamitatibus, ac procurandâ felicitate INNOCENTIUS occurret.

Ar. Polit. Sapienter docet Philosophorum Princeps, Providentiam in Summo Reipublicæ Moderatore Architectonicè, ut ait, inesse oportere; eamque præcipuè in optimis deligendis, optimèque regendis rerum publicarum Administris consistere. Idipsum nobis contemplandum exhibet, vel ipsa Supremi Numinis Providentia, quæ non modò generales causas, ut vocant, aptissimos veluti publici boni Ministros, Elementa, Solem, ac Stellas creavit: Verùm etiam eos perpetuò movet, ac regit; eorumque operibus singulis Præsens, suas Ipsa manus, ac vires accommodat. Hoc idem Divinæ Providentiæ æmulator INNOCENTIUS Sibi peculiare fecit, ac proprium.

Ministris optimis deligendis Enimvero. Quàm singularis isthæc sapientissimæ, constantissimęq; Providentię Tuę laus est, Sanctissime Pontifex, quòd optimos Tibi Reipublicæ, ac Religionis Ministros adsciveris? Cum enim per omnes, ac singulos gradus, ad Supremum Dignitatis culmen ascen-

ascenderis: Cum Præfecturas, Provincias, Legationes, omnia denique Unus munera obieris; Noveras procul dubio, quales, & quâ virtute præditos viros unumquodque munus exposceret. Adcò ut arcano, ac singulari Divinæ illius Providentiæ consilio, quæ Te jampridem ad Orbis Catholici regimen, felicitatemque formabat, contigisse crediderim: quòd, dum ea, quæ in dies cumulabas, amplissima in Sedem Apostolicam merita eminentiores Dignitatis gradus Tibi certissimè pollicebantur, abrupto veluti honoris cursu, ad Aletinam regendam Ecclesiam, inopinatò diverteres. Ut nimirum per omnia exercitus Christianæ Reipublicæ munera, nihil discendum, haberes tempore docendi. Et quâ eras mentis solertiâ, omninò pariter noveras, qui tales essent, quales à muneribus postularentur. Quin etiam, ut ea ipsa, quam ab incunabulis hauseras, mentis sagacitas diuturno experimento acueretur; Etruscos, Teutonas, Sarmatas Legationibus adiisti: Teque ad omnes ferè Nationes perlustrandas circumduxit Christianæ Reipublicæ Numen: Ut eorum virtutes, quos eras publicis muneribus præfecturus, visu ipso dignoscere inciperes: & cum deligendi essent, Te ipsum adhiberes Testem meritorum, Tuos oculos Ipse consuleres, atque ab ingenti illo vacares Principatus malo: Necessitate credendi. Totus propterea in recensendis, comparandisque singulorum, quæ probè noveras meritis, id unum

Lecce.

Innocentii in Optimorum delectu Solertia.

Rectitudo.

unum

unum ſpectans, ut Numinis Gloriæ, & Reipublicæ utilitati conſuleres, adeò conſtanter ſtatueras animo tuo, optimum quemque deligere; ut nunquam potueris cujuſquam favore, ſtudiis, aut precibus flecti, ut quemquam præeligeres, quem non mereri magìs exiſtimares. Immò invictiſſima iſthæc Providentiæ Tuæ Conſtantia ita perſpecta omnibus erat; Ut nemo eos Tibi commendare auderet, quos non optimos eſſe conſtaret: Cum ſcirent, neminem à Te optimum ignorari, neminem probari, niſi optimum, poſſe?

Conſtantia

At enim. Ubi optimos communis boni Curatores, & rerum publicarum Miniſtros delegeras; ideone quieſcendum Tibi aliquando, aut feriandum putabas, publicæ felicitatis ſecurus, ac Tuæ? Non ſatìs quod Tuum eſt Te præſtare arbitrabaris, niſi eos perpetuò regeres, ac moderareris, atque eorum Virtutem tuâ Ipſe Virtute adjuvares. Quos conſilii gravitas, ac Prudentiæ maturitas paulò tardiores faciebat, Tuâ Ipſe alacritate, ac Zelo incitabas. Contra verò quos generoſa quædam animi indoles, ac tuendæ Religionis, aut Juſtitiæ ardor paulò fervidiùs rapiebat, Tuâ Ipſe Benignitate, & Clementiâ temperabas. Adeò non conſiliorum tantummodò, ſed & Virtutum tuarum participes efficiebas; Ut Te quodammodo in illos infundens, Te in illis reddidiſſe multiplicem videreris. Illorum comitiis frequens aderas: Non tam ut authoritate præeſ-

Iiſdem regendis:

ſes,

ſes, quàm ut præſtò eſſes auxilio. Aderas operibus ipſis; ut eorum laborem, ac ſtudium, & tanquam exactor intenderes, & tanquam particeps, ſociuſque relevares.

Operibus promovendis:

Non ſemel vidimus, ætate jam gravi, longa itinera conficientem, ut iis præeſſet operibus, quæ tam diverſa, & tam multa, pro commodis populorum, & communi utilitate imperaverat. Ibat Pontifex Maximus, privato penè cultu, paucorum comitatu, ſine pompâ, ſine ſupercilio: ac totus ad humanitatem compoſitus, ſingula inquirere, inſpicere, ſingulos alloqui, hortari; atque ad operis celeritatem, ac ſtudium, læto aſpectu, comi ſermone, & paratis muneribus excitare gaudebat, ac penè ſuâ Ipſe operâ impellere, ſecurus Majeſtatis, ac Magnitudinis ſuæ.

Iter ad Antium, & Centum cellas.

Sed qui tam ſollicitam de inanimis operibus, quantò ſollicitiorem Ille de nobis curam ſuſcepit? Adeò faciles omnibus aditus, clementiam exorabilem, atque obviam præbebat humanitatem; ut unuſquiſque non tam Principem alloqui, quàm Parentem putaret. Singulorum calamitates, quamquàm iis miſerans indoleret; tamen ut illicò ſublevaret, audire geſtiebat: Adeò ut nemo non ſe ſingulariter diligi à Principe, ac ſibi ſpeciatim provideri ab INNOCENTIO arbitraretur. Non illum negotiorum quotidiana moles, non interpellantium aſſidua multitudo, non ipſa valetudinis imbecillitas, quæ ſe-

In privatorum

Calamitatibus repellendis.

nio gravem, & annis fessum, extremis vitæ mensibus, afflictavit, impediebat quò minùs, & aures patientissimas commodaret adeuntibus, & instaret, ut quæ facienda mandaverat, optatos ad exitus perducerentur. Unum dicam, omnium laude celebratum, & posteritatis memoriæ præcipuę meritò consignandum.

Scuta 40000. pro redim. captivis.

Paucis, antequam supremum diem obiret, horis libellum supplicem obsignavit, ac ratum esse jussit, quo nummorum aureorum millia quadraginta redimendis captivis asignabantur. Factum bene, Sanctisime Pontifex, quòd vinculis exire corporis non ante volueris, quàm tot miserorum vincula solveres! Tūm, credo, lætus, & alacer in libertatem beatæ immortalitatis excessisti. Afferentur in Urbem aliquando, & spectabuntur appensæ Tumulo Tuo, quas fregisti, catenæ, & hæc liberalitatis Pontificiæ miracula, à Te, etiamnum spirante edita, in præclaris Tuis facinoribus, non ultimum obtinebunt locum. Pretiosa captivi olim ferri rubigo meliùs, ac splendidiùs, quàm aurei Principum torques, & gemmata sepulcrorum ornamenta, rutilabit.

Innocentii Charitas in Pauperes.

Egenos præsertim quo Providentiæ studio, Deus immortalis! Quo charitatis ardore complexus est! Ut cognomentum illud, quod sibi proprium Divinus Spiritus vendicat, sibi proprium INNOCENTIUS adscripserit: Pater Pauperum haberi ab omnibus,

& nun-

& nuncupari meruerit. Et ſanè erga orbatos parentibus liberos, Parentem Se INNOCENTIUS optabiliorem exhibuit. Iis magnifica Hoſpitia à fundamentis extruxit, ac perpetuo cenſu ditavit: Non tam ut honeſtè alerentur, quàm ut artes ſibi, ac Reipublicę utiles diſcerent, ac præcipuè moribus optimis educarentur.

Sed parùm adhuc Tibi, Egenorum Parens amantiſſime, eorum calamitates depellere; niſi etiam participes redderes felicitatis Tuæ, ac eorum inopiam, vel ipſis divitibus faceres invidendam. In Lateranenſes Pontificias Ædes, Pauperes ſuſcepiſti: Ut eos, quos Nepotum loco à Te haberi dicebas, re ipſa haberi conſtaret. Et ſanè quis tam liberalis, ac profuſus in Nepotes, ut INNOCENTIUS in Pauperes? His Palatia Auguſtiſſima, cenſus ampliſſimos, ſplendidiſſima congiaria, ac regia planè munera liberaliſſimus Princeps, atque amantiſſimus Parens donavit. Quid, quòd vel ipſas Horti ſui delicias, in Pauperum alimenta convertit: Adeò ut ſibi Pontificatus labores, onera, & curas; illis fructus, emolumenta, ac delicias conceſſiſſe videretur. Licebat miſerrimo, cuique inter chariores Principis Nepotes adſcribi. Patebat Egenis omnibus Pontificia Domus: Adeuntibus nunquam aliàs viſa, aut cogitata Felicitas occurrebat, quæ per auguſtiſſimam illos veluti manuducens Domum, illis parata explicabat alimenta honeſtiſſima; eoſque optimarum artium,

Felicitate procuranda.

Pal. Lateranenſe Pauperib. donat.

Eos vocat Nepotes Suos.

ac

ac divinarum virtutum magisterio instituendos tradebat. Nec precibus cuiquam opus, aut lacrymis erat; ut tantæ particeps fieret felicitatis. Quin Ipse ultro INNOCENTIUS miseros jubebat inquiri; & geminato beneficio, cogi imperabat, qui mallent in otio miseri esse, quàm in labore felices. Quo quidem consilio, non Patris tantummodò curam induisse visus est Sanctissimus Pontifex; sed & Matris amorem, parvulos Suos, vel invitos, ac resilientes, gremio excipere, sinu fovere, atque uberibus enutrire gestientis.

Illud verò quàm totum exprimit Matris amorem, quòd delicias suas Pauperes appellare consueverat? Et quidem re ipsa nihil magìs in deliciis habebat, quàm sæpè illos invisere, cum illis versari, ac suis Ipse manibus stipem multiplicem singulis elargiri. Quòd si amor in filios, de illis parentem perpetuò sollicitam reddit; Magnum illum Rectorem humani Generis animum ea quotidiè fatigabat cogitatio: ne quid in ærumnosorum ædibus, atque hospitiis deesset. Adeò ut, quicumque INNOCENTII curas, pro miserorum felicitate susceptas, seorsum ab aliis audiret; in his procul dubio totum penitùs fuisse INNOCENTIUM arbitraretur. At, qui reliquas omnes recensere, ac secum æstimare instituerit, Divinæ quâdam Immensitatis specie, totum in omnibus pariter, ac totum in singulis INNOCENTIUM deprehendet: & laudem illam INNOCENTII propriam,

Delicias suas.

atque

atque illi peculiarem fatebitur, quam in Deo demirari, ac de Deo prædicare, consuevimus: quòd nimirum in magnis Se verè magnum, in minimis verè maximum comprobarit.

Divinum profectò, ac Tuum, Sanctissime Pontifex, quòd nihil Tibi utilitatis, aut detrimenti in Summi Pontificatus administratione susceperis. Divinius, quòd ita Te totum universis impenderis, ac si vacaris à singulis; atque ita Te pariter totum impenderis singulis, ac si vacaris ab Universis. Illud verò divinissimum, quòd præsentibus intentus, in futurum provideris, ac partæ felicitatis perpetuitati prospexeris.

III ORATIONIS PARS.

Innocentius.

Partæ felicitatis perpetuitati prospexit.

MAGNUS Ille æmulator Divinitatis animus, dum totus vacare præsentibus videbatur; totus in eo erat, ut posteritati universæ consuleret. Hinc tot, ac tanta, quæ publicæ felicitati molitus est, opera eâ soliditate construxit; ut facilè intuentibus constet, Æternitati facta, Æternitatem esse æquatura. Tot Sanctissimas Leges, quas, ad stabiliendam Christianam Rempublicam, sapientissimè condidit, in Volumen referendas curavit, quod rectissimam, atque perpetuam optimè constitutæ Reipublicæ normam, ac regulam meritò dixeris. Quia verò nihil erat illi antiquius Religione, cui suas omnes curas, cogitationesque devoverat, non solùm illi stabiliendæ in Europâ, & promovendæ studuit, instituendis, fovendisque tot sacris Expeditionibus, quarum uni

1 Operum soliditate.

Optimarum legum perpetuitate.

Bullarium.

cui-

cuipiam aliquando quinquaginta millia nummûm attribuit; Verùm etiam ad remotissimas Gentes, nondum Evangelii Luce collustratas, in perpetuum proferendæ.

Perpetuo censu pro Missionibus.

Laudabat, ac meritò quidem, Superiorum Pontificum pietatem, & diligentiam, à quibus constitutum fuerat peregrinarum illud Missionum Seminarium; illa Congregatio clarissima, Propagandæ Fidei addicta; illud Ærarium, unde opes Evangelicæ, in ultimos Orbis terrarum fines, continuò sparguntur. Sed ut plantæ feraces ex hoc Seminario, ad inserendam barbaris mentibus Fidem, prodirent; videbat, esse aureo rigandum continenter imbre. Humanis egere subsidiis intelligebat Fidei Propagatores, qui toti sunt in rebus Divinis populo communicandis: Ærarium, nisi bene fundatum, minui tandem, & velut Aquas, non ex perenni Fonte ductas, exarescere. Quid egit Providentissimus Pontifex, ut his incommodis occureret? Ut huic nobilissimo Religionis Seminario perpetua constaret fertilitas; ut huic ærario perennis, divésque fundus suppeteret; ut nunquam Religioni Propagatores, Propagatoribus necessaria præsidia deessent? Constituit centum aureorum millia; ut ex ejus pecuniæ, sortisque vectigalibus annuis plùs, quàm triginta Evangelii Præcones, in Regionibus Orienti Soli subjectis, in perpetuum alerentur.

Sc. 100000. pro Missionibus Orientalib.

Consultum quidem, Sanctissime Pontifex, perpetuæ

petuæ Religionis felicitati, & gloriæ, hoc facto voluisti: at simul gloriæ Tuæ perennitati, quod minimè spectabas, consuluisti. Quot Æthnicos Illi Operarii Apostolici, ad Catholicam Fidem adducent, tot liberalitati Tuæ titulos, ac merita adjicient. Horum Evangelii Ministrorum manibus, Gentes sacro lustrabis fonte; illorum docebis ore; illorum laboribus perfrueris. Hæc Templa, quæ surgent verò dicata Numini, Te Conditorem; Hæc Delubra, quæ superstitioni eripientur, Te Eversorem loquentur. Hi pueri, qui Fidei rudimentis imbuentur, Tibi vitam sanctiorem acceptam ferent, Teque publicum Parentem experientur. Crescent de Tuo, qui crescent Ecclesiæ: ac Tuis beneficiis, ad augendam Sanctæ Matris Sobolem proficient: tantùmque omnes Uni Tibi; quantùm egregiis illis Institutoribus suis, ac Magistris, debebunt.

Sed non satis posteritatis felicitati consultum putavit, si optimas in posterùm leges, earumque propagatores decerneret; nisi etiam optimos Christianæ Reipublicæ Administros in perpetuum provideret. Quod quidem quàm singularis Providentiæ consilio præstiterit, mecum ipsi, Auditores, cognoscite.

Providit in perpetuum. Optimos Reip. Ministros.

Quædam pretio emebantur, quæ ad Principatum pertinent, Munera, atque ad ampliores Dignitates spem adeuntium fovebant. Morem istum invexerat ingens Ærarii difficultas, & sapientis quædam ratio consilii, id minimè iniquum existimantis, quòd cum

Consuetudinem emendi quædam officia

cum honor splendidior multò, ac pretiosior sit opibus; istarum aliquid in commune conferret; qui supra communem hominum conditionem, assurgere honoribus vellet: atque Ærarium Principis sublevaret, qui à Dignitate Principis elevaretur. Illud verò maximè cavebatur: ne ab ullo pretium caperetur, nisi qui, vel sine pretio, honoris, quem petebat, dignus, & ad eum, quem sperabat, idoneus censeretur. Quare hujusmodi initiis ad amplissimas postmodum provecti sunt dignitates praeclarissimi Viri, qui mirum in modum Christianam Rempublicam, Doctrinæ, Prudentię, ac Sanctimoniæ splendoribus illustravere.

Conviciis obnoxiam.

Sed morem istum torvis, pravisque oculis intuentes, Catholicæ Fidei hostes, in omnem carpendi occasionem intenti, opportunum censuerunt conviciis locum: Adeò ut, quemadmodum ineptæ Antiquitatis temeritas, os suum in Cœlum attollens, monstra Cœlo affigere, non dubitavit; haud secus impiorum insana temeritas, os pariter suum in Ecclesiæ Cœlum attollens, avaritiæ, atque ambitus monstra eidem appingere, non vereretur. Verùm non secus, ac Cœlum, securum splendoris, ac pulchritudinis suæ, cæcam obtrectatorum audaciam, nunquam suis puniendam fulminibus, aut coercendam putavit; haud aliter iniquissimas in Ecclesiam Catholicam voces, ab impiorum hominum temeritate prolatas, nemo sapiens non contemnendas, ac ridendas arbitrabatur.

Illud

Illud [haud equidem inficiar] illud, inquam, videbatur incommodi; quòd periculum erat, ne interdum æquè digni, quòd non æquè divites essent, retardarentur: nec satìs liberum Principi esset, inter æquales decernere, ubi, qui par erat merito, potior beneficio duceretur. Deinde ignaræ plebi suspiciosa, licet immeritò, ea consuetudo accidebat. Atqui è Republica esse censebatur, si qui muneribus præficiebantur, non solùm optimi essent, sed & ab iis, qui regendi erant, optimi sine suspicione haberentur. Hinc priores Pontifices eum morem abolere exoptabant. Sed consilii, vel novitate, vel magnitudine, vel restituendarum vi pecuniarum deterriti, irrito negotio, desistere cogebantur. Unus tandem sapientissimè pariter, & constantissimè id præstitit, INNOCENTIUS. Reip. incommodam. Innocentius abolet.

Qui Romæ stupor, cum videret, unâ die, sexcenta supra decies centena, & viginti sex aureorum millia iis, qui solverant, reddi! Qui hominum sensus, cum legem illam ferret INNOCENTIUS, quâ officiorum, ut ejus verbis utar, *venalitatem* in perpetuùm suppressit, abolevit, extinxit? *Mandantes* (Audite Sanctissimi Legislatoris verba sapientissima) *mandantes, ut ejusmodi officia in posterùm viris, vitæ, & morum integritate præstantibus, literarum scientiâ præditis, rerumque humanarum experientiâ insignibus, ad majorem Dei Gloriam, Romanæ Curiæ decorem, necnon virtutis incitamentum, & præmium, gratìs, & nullo* Ob id Scut. 1626000. restituit.

recepto pretio concedantur. Ut omnes invicem gratulabantur, vel ab unâ hac Lege sancitam in perpetuùm Reipublicæ felicitatem! Cum intelligerent omnes, Ministros optimos ejusdem Regimini præfuturos. Non enim nisi optimos ad eas dignitates promoveri necesse est, ad quas Virtuti tantummodò, & meritis aditus patet.

Optimos Summos Pontifices.

Quin hâc ipsâ lege, non optimos tantùm Ministros providisti, Sanctissime Pontifex, sed eos etiam, qui Te sequentur, Pontifices Maximos, quos verè optimos fore intelligimus; cum ex optimis constet, & ab optimis esse eligendos. Quamquam, ut optimos in perpetuum esse statueret Summos Christianæ Reipublicæ Moderatores, singulari, divinissimoque consilio INNOCENTII PROVIDENTIA prospexit. Illam, quam mente conceperat, animo infixerat, gestis expresserat, Summi Pontificis verè optimi Ideam, Se, ac sua negligentis, ut Se totum, suaque omnia in publicam felicitatem impenderet: Hanc, inquam, Ideam augustissimam, ac planè divinam derivare, atque infundere in Successores Pontifices voluit. Audite itaque, quid consilii excogitarit, susceperit, atque compleverit.

Consuetudinem extollendi Nepotes

Communis ferè, aliquot jam sæculis tradita, apud Summos Pontifices consuetudo invaluerat, ex iis, qui ad Principatum pertinent, redditibus, atque muneribus partem aliquam, sibi sanguinis affinitate conjunctis, erogandi. Quod quidem, & ad splen-

dorem

dorem Principatus pertinere, & consanguineorum conditionem decere, integerrimi, sapientissimique Pontifices non immeritò arbitrabantur. Propiores præsertim, qui longè præ cæteris esse solent, ac debent de Principis, atque Imperii felicitate solliciti, ut in consortium curarum, ita & in partem redditūum suscipiebantur. Non secus ac Sol, Orbi universo illustrando, ac fovendo præfectus, Planetas suos in tanti muneris partem admittit: & quò propiores sunt; eò majorem illis non lucem modò, sed & calorem impertit.

Adhuc tamen INNOCENTII Providentia, non in sui tantùm, sed in subsequentium etiam sæculorum felicitatem perpetuò vigilans, atque intenta, præstantiorem multò, utilioremque Reipublicæ morem Sibi, ac Successoribus suis in perpetuùm sequendum, statuendumq; decrevit. Tanti esse publicam felicitatem putavit; ut vel ipsius Principis, & consanguineorum impendio sanciri posset, ac mereretur. Nihil optabilius fore existimavit, quàm si omnes, qui circa Principem sunt, eòdem animo, quo Princeps Ipse, se, ac sua publicæ utilitati devoverent. Igitur Sanctissimus Pontifex, qui legem putabat, optimum sequi: ne quid unquam populis superesset optandum; abire in debitum voluit, quod vix esse poterat Votum. Legem tulit, quâ illud summatim cavit: ne quid in posterum Romani Pontifices consanguineis suis, quòd Sui sint, ex Ærario Principis, aut pu- Innocentius moderatur.

 bli-

blicis muneribus tribuant, nihilq; in illos impendant, nisi quod sincerè probatis Ipsorum, non secus ac cæterorum, meritis, ad exactissimam Justitiæ normam, ac Regulam debeatur. Et convocato purpuratorum Patrum Senatu, omnes, ac singulos eò adduxit; ut Sacramento se adstringerent; legem istam, ubi ad ipsos pertinuerit, Se in perpetuum servaturos.

Et quidem, quod verbo spoponderant, re ipsâ præstari, Ipse de Cœlo, ad felicitatis Tuæ cumulum, vides, Beatissime Pontifex. Ingens Successorem Tuum numerus Consanguineorum circumstat; Quorum Virtutes, ac Dotes ita perspectæ omnibus sunt; ut omnium in Se admirationem, amoremque converterint: Adeò ut nemo sit, qui non Illis parem conditioni fortunam precetur, ac voveat. Principis amorem præsertim sibi peculiariter merentur, ac vendicant: cum Omnibus una mens, unus animus sit: Illius virtutes imitari; & Qui propiores sunt, hoc uno ex capite dignoscantur, quòd Illum propiùs imitentur, ac referant. Quamobrem illos ames, necesse est, CLEMENS, Pontifex Maxime. Atquì idipsum profitebare, cum se Tibi inclinantem supremæ Dignitatis apicem, omni ope detrectare contenderes. Ut universum purpuratorum Patrum Senatum, in Te uno deligendo, unanimi consensu, obfirmatum, à suscepto consilio amoveres, inter alios, quos movisti lapides, hoc etiam non semel objeceras: multos Tibi esse Consanguineos, quos amabas. Nunc

Nunc verò amori Tuo nihil indulgendum, promissi memor, putas: atque Unus documento es; in eo, qui possit beneficia conferre, posse ab amore beneficia sejungi; multumque discriminis esse, inter velle bonum, & facere. Constanter statuisti, quod olim promiseras, Princeps, implere. In Tui, ac Tuorum favorem, ea Tibi licere non putas, quæ in omnium favorem, Tibi licere, fatearis necesse est, Dignitatis Tuæ conscius, ac Potestatis. Supremus Ipse in Terris Legislator INNOCENTII legem revereris: Eidem Par dignitate Successor obtemperas. Octavum jam annum Consanguineos Tuos supra privatorum conditionem extulit Dignitas Tua: adhuc Eos privatorum census, atque insignia circumstant. Tuarum hactenus nonnisi curarum participes, vel in literariâ palestrâ, vel in forensi, vel etiam in bellicâ exerceri pateris, atque insudare. Multarum vigiliarum, laborum, ac periculorum fructum esse jubes, quæ Illorum spontè sequi conditionem fas esset: atque ad ea gradatim ascendere cogis, ad quæ statim eos advolare, fortunâ Tûâ aspirante, optabamus. Omnia cum Tuis, utì cum reliquis, Virtutis lance metiris. Unum interest, quòd Tuos diutiùs, ac severiùs, an mereantur, probas: & per eum callem, qui unus, Te Principe, ad Dignitates ducit, ut Tui à Te alacriùs incitantur; ita tardiùs promoventur.

Illi interim amore tuo læti, gaudentesque, nihil

nisi gaudium ex Principatu Tuo decerpere, moram istam tam æquo animo ferunt; Ut difficile dictu sit, utrùm majus censeri Virtutis miraculum debeat: Vel quòd Tuum Ipse amorem; tantâ cum severitate conjungis; vel quòd sua Ipsi merita, tantâ cum Moderatione componunt. Quos esse arbitramur INNOCENTII sensus, Te, ac Tuos de Cœlo spectantis? Ut mirum in modum Tuo erga suam legem obsequio delectatur; ita à Te sæculo Tuo, Tuoque ab exemplo confirmatam in perpetuum ejusdem legis observantiam, lætatur.

IMMUTABILES omnino sunt Divinæ Providentiæ leges: adeò ut iisdem semper motibus Cœlestes Orbes circumagi, iisdem circumscribi finibus Maria, ac vel ab ipsa temporum instabilitate, suam perpetuò videamus stabilitatem, ordinemque servari. Hanc Tibi laudem mereris, Beatissime Pontifex. Qui Divinæ Providentiæ consilia tam sedulò imitari studuisti, dignus es, qui ejusdem pariter felicitatem consequare. In perpetuum vigebunt sanctissimæ Leges, quas ad perpetuam Catholici Orbis felicitatem, tam providè, sapienterque sanxisti. Perpetuus illis erit honor, & cultus: Atque earum beneficio Christiana Respublica Ministris optimis, Summis Moderatoribus Optimis, ad felicitatis suæ perpetuitatem, fruetur.

Intelligat itaque Universa Posteritas, quantum INNOCENTIO debeat, qui tam Divinam Providen-

tiæ

tiæ normam, ac Regiminis Ideam invenit, suisque Successoribus imitandam proposuit: Ut Divinæ quodammodo particeps Infinitatis, nihil Sibi, vel utilitatis, vel detrimenti ex Summi Pontificatus administratione susceperit: Divinæ veluti socius Immensitatis, ita universis intenderit, ac si vacarit à singulis; atque ita pariter intenderit singulis, ac si vacarit ab universis: Divinæ denique veluti coævus Æternitati, dum præsentibus intenderet; in futurum prospexerit, & subsequentium sæculorum felicitati providerit. Adeò ut absolutissimam Divinæ Providentiæ Imaginem, in Summi Pontificatus administratione exhibuerit. Cum peculiares ipsas Divinæ Providentiæ Dotes, peculiares Providentiæ Suæ laudes effecerit. Dixi.





GREGORIUS XIII.

PONTIFEX MAXIMUS SÆCULORUM FELICITAS.

ORATIO FUNEBRIS ANNIVERSARIA,

Habita in Aula maxima Collegii Romani Anno SÆCULARI MDCC.



INstituerunt ſapienter Majores noſtri; ut GREGORIO XIII. ſolemne penderemus quotannis laudum vectigal, perpetuum grati animi monumentum, EMINENTISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES: Ut quando Pontifici, de Nobis optimè merito, pares referre grates non poſſumus; eo ſaltem quo poſſumus modo, & quamdiu poſſumus, referamus. Quòd ſi omnes in poſterum anni tributum hoc laudis perſolvere Pontifici, vel de omni Poſteritate optimè merito debent; ſæcularis hic potiſſimùm annus, qui duorum tangit confinia ſæculorum, exeuntis videlicet, ac ineuntis, præcipuo quodam jure, ſacer eſſe GRE-

GREGORII laudibus debet. Quàm enim decet; ut in hoc Romano Lyceo, ubi, Tanti Principis beneficio, bonis erudiuntur artibus, moribus optimis imbuuntur sæcula, quàm, inquam, decet; ut, cùm eadem incipiunt, aut desinunt, ejus Nomen, laudesque prædicent, cujus Liberalitati, ac Magnificentiæ acceptum ferunt, quod iis erudiri, atque imbui possint? Assuescant Sæcula, dum velut è cunis prodeunt, balbutire ut possunt GREGORII Nomen: jam tum incipiant, primulis vocibus optimum Parentem salutare: Cùm verò ad interitum vergunt; eam, quâ frui licuit, felicitatem in Eum referant, qui non sui tantùm sæculi, sed subsequentium omnium felicitati prospexit: Ut SÆCULORUM dici FELICITAS jure possit.

Consueveras olim, Roma, cùm Imperatores tuos, (quibus adulari, aut proderat ad felicitatem, aut oportebat ad salutem) celebrare præconio illustri, & præclaro insignire cognomento velles; Consueveras, inquam, illorum inscribere Numismâtis: SÆCULI FELICITAS. Moderatius quidem istud, quàm cum eos in numerum Deorum transcriberes, divinisque honoribus coleres, quos commune mortalibus fatum intra hominis conditionem incluserat, vel communia ferè illis Principibus vitia infra hominis conditionem dejecerant. Fuerit illud adulantis delirium, vel quædam obsequii erga bonos Principes Intemperantia, quod amor virtutis, aut crudelita-

tis metus expresserit. Constat illud quidem certè, nullum Principi nomen aptius, nullum augustius inveniri posse, quàm si FELICITAS sui SÆCULI appelletur. Re ipsâ enim hoc habent Principes commune cum Deo, quòd felicitatem hominibus impertiantur: quod cùm faciunt, Populorum Felicitas appellari meritò possunt. Verùm ne adulari ego ipse videar: Magnificentiùs longè, quàm veriùs optimus quisque Imperator Sæculi dicebatur Felicitas, cujus Imperium, & modicis definitum Terræ limitibus, & angusto temporis spatio claudebatur. Nunc enimvero, quòd eos Divinitus sortita es Principes, Roma, qui Terras, & Maria, Cœlumque ipsum dominationis quadam amplitudine complectuntur, quique ad eam nati sunt felicitatem hominibus procurandam, quæ nullis unquam definiri sæculis potest; Ii profectò, si Se tanti capaces Imperii, tantæque felicitatis opifices præbeant, digni sunt, qui citra assentationem omnem, non unius tantum sæculi, sed SÆCULORUM FELICITAS prædicentur.

Cognomentum hoc augustissimum, & planè Divinum peculiari quodam sibi jure vendicat GREGORIUS BONCOMPAGNUS PONTIFEX MAXIMUS, ejus nuncupationis TERTIUS DECIMUS: qui eò semper omnem operam suam, ac studium, cogitationesque omnes intendit; ut omne Felicitatis genus, omni Mortalium generi, omnibus in posterum Sæculis compararet. Argumentum dicen-

cendi amplum, ut videtis, dignum hoc tempore, dignum loco, dignum Româ, dignum GREGORIO: de quo nisi apud Sapientes dicerem, verendum mihi esset, ne plùs admirationis habiturum esset, quàm fidei. Sed & apud eos loquor, quibus exploratæ penitùs sunt res ab eo gestæ immortales, amplissimæque: & in eo versamur loco, in quo Parietes ipsi, Tanti Pontificis monumenta, Posteritatis felicitati sacra, disertis coloribus exprimentes, locupletissimi aderunt Testes, quàm jure à Nobis SÆCULORUM FELICITAS appelletur.. *PROPOSITIO.*

QUAM felix est Populorum conditio, cùm ejusmodi nacti sunt Principem, qui certum id, ac propositum habeat, populisque palam denunciet, nec verbo tantùm, sed re ostendat, ad publicam Se felicitatem natum, ad id supra cæteros evectum, & in solio collocatum esse: non secus ac sidera, quæ ut Terris luceant, insident Cœlo! Eo primùm die, quo GREGORIUM ad Orbis Catholici regimen omnia publicæ felicitatis delegerunt Vota, primam hanc, dignam Principe, dignam Pontifice, dignam GREGORIO vocem edidit: Se in omnibus aliud nihil, quàm felicitatem publicam spectaturum. O vocem beatissimam, quę felicitatem Populis futuram nunciavit, futuri Principatus ideam haud obscurè adumbravit, & imaginem

ginem veriſſimam , Divinamque propoſuit ! Dubitavit nemo de Felicitate illa , quam is promitteret Princeps, quem certò ſcirent, ea quæ diceret, velle; quæ vellet, poſſe. Immo verò præſentem illico felicitatem omnes invicem gratulabundi ſenſere. Incipit enim felix eſſe, qui brevì ſe futurum putat. Nec verò mutuas Populorum gratulationes perturbare potuerunt, occurſantes ubique Terrarum, calamitates innumeræ. Cum intelligerent omnes, Magno Pontificis animo obices iſtos, non impedimentum ad maxima, quæ meditabatur, conſilia; ſed incitamentum eſſe allaturos: Et quò gravioribus cum difficultatibus conflictandum foret, quò major vis malorum urgeret; eò majorem Tanti Viri laudibus, virtutibuſque materiem præberi, amplioremque ſe ſe aperire campum, ad uberiorem bonorum ſegetem colligendam. Et ſanè quoties illorum caliginem temporum cum ea comparo ſerenitate, ac luce, quæ GREGORIO imperante, Orbi Terrarum affulſit; toties ea ſubit animum cogitatio: Arcanâ quadam deſtinatione Superûm, idcirco tunc temporis ademptam veluti felicitatem; ut eam GREGORIUS, ingenti cum fœnore, omnibus in poſterum ſæculis redintegraret. Quod quidem ut liquidò conſtet; revocate in animum, Auditores; Duplex eſſe Felicitatis genus. Alteram Civilem dixerim, & Humanam; Sacram alteram, atque Divinam. Utramque GREGORIUS, toto pene terrarum Orbe pro-

DIVISIO.

ſtra-

ſtratam erexit, erectam amplificavit; amplificatam firmavit.

ET PRIMO quidem Civilem Felicitatem tribus confici exiſtimo: Pacis Tranquillitate, Opulentiâ Civium, Bonarum Artium cultu. Hæc enim ubi unâ conſenſerint, ibi exiſtit otium cum dignitate, quo nihil unquam felicius Reipublicæ ne fingi quidem à ſapientibus potuit.

I. ORATIONIS PARS.

Civilis felicitas tribus conſtat.

Tibi gratulor, Feliciſſime Pontifex (præſentem enim alloqui videor, qui omnium præſens erit memoriæ ſæculorum) Tibi, inquam, gratulor, quòd incideris in plena calamitatibus tempora: Ut inde innoteſceret magis Tuæ Virtutis amplitudo, noſtræ Felicitatis cura. Circumſpice Orbem, tuo ſubjectum imperio: Occurret ubiq; vel amiſſæ deſiderium, vel amittendę metus felicitatis. Quid, quòd ne ipſam quidem uſquam reperies umbram felicitatis, & initium? Cum enim Tranquillitas reliquorum ſit creatrix, & nutrix bonorum; omnia cernes ubique Bellorum, ſeditionumque, vel tumultibus, vel ſuſpicionibus perturbata. Aſpice Hiſpaniam Belgicis turbis incertam; Luſitaniam clade Principis inflammatam; Poloniam de novo Rege ſollicitam, & in partes Religionis causâ diſtractam. Aſpice Angliam, ob Reginæ ſcelus, in bonos furentem; Germaniam novis in dies tumultibus, acribuſque Hæreticorum odiis convulſam; Galliam diſcordem, & utrique pariter timentem, Regno, & Religioni. Ipſam

1. Pacis Tranquillitate,

Quam ubique perturbatam,

ſam denique aſpice Religionis ſedem, Italiam, quà Principum factionibus, quà ſuſpicionibus, nec Sibi ſatis, nec Romano Pontifici fidentem. O temporum perturbationem triſtiſſimam! Quis in his diſſidiis, erroribus, miſeriis aliquem felicitati revocandæ locum eſſe putet? Quem non oppreſſiſſet hæc rerum moles, quæ GREGORII animum, omnibus difficultatibus celſiorem erexit?

Gregorius compoſuit

Tam infelicium temporum conditionem ſibi GREGORIUS felicitati vertit: quòd indè Populos facere feliciores poſſet, veteris comparatione calamitatis. In ſpem itaque præſentioris felicitatis aſſurgens, quod voce illa, divino planè inſtinctu prolatâ, ſpoponderat, omnes eò curas, cogitationeſque convertit, ut Orbi Catholico Tranquillitatem ubique tutiſſimam compararet. Jam Oratoribus ſapientiſſimis ad Principes miſſis, jam plenis ſapientiâ, & benevolentiâ literis; modò Authoritate, modò conſilio uſus, tot ubique Terrarum perturbationes compoſuit tandem. Immoverò compoſuit ſtatim. Statim

celeriter,

Melitenſium Equitum acies, fraterna mox ruituras in vulnera, ad Pacis fœdera revocavit. Statim civilia Ligurum incendia, nec ſuis obruenda fluctibus, Pacis aurâ reſtinxit. Statim Polonum cum Sveco, cum Moſcho Germanum, datis in fœdera dextris, conciliavit. Statim.... Sed quid in immenſum excurro per ſingula? Statim omnes armorum motus, furoreſque compeſcuit, omniumque

ani-

animos ad publicam tranquillitatem inflexit.

Quid hìc priùs, GREGORI, quid in Te potissimùm mirer? Eamne Divinam planè Sapientiam, *sapienter.*
quæ involutas adeò rerum ambages explicavit; quæ tot Principum animos ad concordiam inclinavit, è bello ad pacem, è tumultu ad otium traduxit? An celeritatem, quâ tot procellas ita repentè sedasti, ut improvisa quies memoriam pristinæ tempestatis propè oblitteraret? Illamne potiùs mirer amplitudinem mentis, quæ res innumeras, gravissimasque complexa, non modò nullis premi angustiis potuit; sed ne occupari quidem: Adeò ut, cum de Orbis universi tranquillitate cogitares, nihil de mentis tranquillitate, ac pace deperderes; privatorum interea causis, atque emolumentis incumberes; & qui tantus in maximis eras, totus esse in minimis videreris? Immoverò perinde ac si tantæ magnitudinem mentis jam non caperet Orbis Terrarum; alios sibi quærens Orbes, in Cœlum usque se contulit: & exortam ibi quandam veluti seditionem astrorum, & perturbationem temporum stabili lege composuit. *Kalendariũ à Gregorio reformatum.*

Macte his animis, GREGORI, & quam cœpisti mortalibus parere felicitatem absolve. Magnum est, ac Divinum, quòd Tranquillitatem Orbi Catholico comparaveris: quòd Cœlo, & Sæculis suam etiam tranquillitatem, & ordinem restitueris. Sed non adhuc factum est satis Populorum votis, Sæculorum Felicitati, Tuæque vel Virtuti, vel gloriæ.

Parto

Parto feliciter otio, nunc Tibi de Dignitate ipsa cogitandum est: Augendæ opes: sublevandæ Pauperum calamitates: consulendum Reipublicæ commodis: Revocandus Bonarum Artium cultus; Ut Orbis Terrarum eâ, cujus Author es, tranquillitate honestè frui, ac suaviter possit.

2. Opulentiâ Civium, Non meas, non Populorum preces expectat ejus Liberalitas Principis, quæ omnium prævertit vota. Vix electum Pontificem novimus, statim Beneficentissimum, ac penè prodigum sensimus. Eâ ipsa *cui Gregorius consuluit: Beneficentiâ* die triginta aureorum millia distribui in Pauperes jussit: Venturęne dixerim semina, an præsentis fructus felicitatis? Nefas duxit, priùs Principem, quàm liberalem deprehendi; & felicitatem priùs spondere, quàm dare. Pulcrum est, ac Tuum, GREGORI, quòd Principatus initio, non modò à Populo tributa non exigis, sed Ipse Populo liberaliter donas. Pulcrius tamen, quòd morem istum constanter sequutus, perpetuo largitionum usu, Liberalitatem Principis Pauperibus quodammodo feceris *In Pauperes,* vectigalem. Hæc enim est Beneficiorum conditio: ut vectigalium more excipiantur, cùm statis temporibus conferuntur. Aliorum hoc Principum fuerit, aliena munera in tributa convertere. Sua GREGORIUS munera referri in rationes Pauperum jussit; ut tributorum in morem Pauperibus penderentur. *quibus distribuit 2400000. aureorum.* Et quidem quàm digna, quæ solvantur à Principe Tributa: Vicies centena, & quadringenta aureorum

rum

rum millia in Pauperes erogata! Liberalitatem istam immortalitati consecraturus Senatus Romanus, marmoreum in Capitolio GREGORIO simulacrum erexit, hâc inscriptum Epygraphe: OB SINGULARI BENEFICENTIA IN EGENOS DISTRIBUTUM SESTERTIUM OCTINGENTIES.

. Bene est, Roma, quòd Jovis occupat in Capitolio locum Liberalissimus Princeps, quem meliùs Antiquitas appellasset Jovem. Olim Jovis appellationem, & existimationem Divinitatis mortali fecerat, juvare, & prodesse mortalibus: Quòd nihil tam Divinum putaretur; quàm beneficia hominibus elargiri. An non potiori jure apud antiquos illos Divinitatis dispensatores prodigos, parem fecisset GREGORIO existimationem, ac nomen, addita studio adjuvandi mortales, præcipua sublevandi pauperes cura? Nullum enim Beneficentiæ genus Divinius, quàm quod nullâ spe redimendi, in egenos impenditur. Et sanè quàm accuratè, ac sollicitè occurrere calamitatibus pauperum studuit? Zenodochia frequenter invisere, ac ditare: Dotem Virginibus, Peregrinis alimenta largiri: perenni quodam Congiario pauperes recreare. Quid etiam, quod sæpè Munificentiam suam per Urbem circumferens, suis Ipse manibus, densatis pauperum gregibus, stipem multiplicem singulis largiebatur? *Sæpè suis Ipse manibus:*

Quale spectaculum, Roma, cum Principem tuum, Moderatorem Orbis Terrarum, immistum cerneres

pau-

pauperum turbæ, occursantis Populi impetu huc, illuc abreptum, nequidquam Prætorianâ obluctante Custodiâ: Dum interim mitissimus Princeps vim populi pati gauderet, quam oblitus Pontificiæ dignitatis amor, & blandè protervus inferret! O novum, ac triumphale spectaculum, ubi Liberalitas Principis de Sua ipsius Majestate triumphat! Quamvis nihil hoc facto Tanti Principis Majestati detractum, quæ ad summum Dignitatis, Virtutis, Gloriæque fastigium evecta, hoc uno tandem augeri poterat modo: Si se ipsam demitteret, & ad aliena incommoda sublevanda deprimeret. Dei planè mos est, ut liberalitatem exerceat, suam quodammodo negligere Majestatem.

In omnes Operibus Magnificentia,

Sed parum adhuc ista sunt Munificentiæ Tuæ, quæ omni beneficiorum genere, omne mortalium genus, omniaque in posterum sæcula complecti debet. Quod enim unquam non ad utilitatem tantùm, sed ad dignitatem Reipublicæ exoptari commodum potuit, quod non illico munificentissimus Princeps magnifico sumptu paraverit? Quid memorem additas Vaticanis Ædibus moles, vibratas salientibus aquas, suspensos canalibus Fontes, deciduos è fontibus Fluvios, junctum pontibus Tyberim, stratas in salebroso, & prærupto solo Vias, restituta Templa, erecta Cœnobia, ornata Sacella, imposita Quirini collibus Pontificii adyti Veneranda Sacraria, Horrea propulsandæ penuriæ ad Esquilias collocata? Hæc, alia-

aliaque innumera, tot locis diffusa, Pontificiæ Beneficentiæ Monumenta ingentis illius animi imaginem præferunt, qui ad omnia humana, vel ornamenta, vel commoda paratum semper, accinctumque se præbuit. Eam enim Magnificentiam, ac stabilitatem ostentant; ut satis intuentibus constet, *Immortalibus;* æternitati sacra, æternitatem esse æquatura. Nullum ergo sæculum, Pontifex optime, expers erit Liberalitatis Tuæ: ut nullum fuit hominum genus, nulla tam remota, ac dissita Natio, ad quam non aliqua Tuæ liberalitatis portio pervenerit. Non enim unius Italiæ, aut Europæ finibus claudi se passa est Liberalitas Tua, sed more Solis, omnia perlustrantis, ditantisque, Asiam, Africam, Americanosque tractus beneficiis implevit.

Divinam hanc Beneficentiam Tuam non audientes modò, & legentes, sed suismet oculis intuentes Posteri, quod nos ipsi facimus, incredibili quodam erga Te amore, & admiratione rapientur. Sed quanto stupore perculsos videre videor, cùm intelligent, quod omnibus dedisti, nemini ereptum? Constat enim illud certissimum, nullum à GREGORIO impositum Populis vectigal, plurima verò, & magni proventus remissa: neque ullum passus est Populi onus, nisi quod ad publicam felicitatem spectans, non inter onera esset, sed inter munera computandum. Utrumque Liberalitatis Tuæ: Vel quòd onerosa Populo Tributa dissolveris; vel quòd aliqua esse permiseris,

ſeris, ad penſitantes ipſos fœnore multiplici reverſura. Omnibus ergo locupletatis, unus pauperior factus eſt Princeps. At ne Ipſe quidem. Non eſt exhauſta, non imminuta opibus ejus. Liberalitas Principis, quæ reliquos omnes ditavit. Immoverò Ærarium ipſum Pontificium plurimo alieno ęre liberavit: & quod mirum eſt magis, annuo inſuper centum millium aureorum reddıtu auxit.

Ærarium ipſum ditavit

Hærebunt ad hæc admirabundi invicem Poſteri, rogantes mutuò: Quì fieri tandem potuerit; ut tot tantiſque opibus in omnium utilitatem profuſis, remiſsis Populo vectigalium proventibus, adhuc tamen Ærarium ditaveris: Cum reliqui Principes, etſi multa à Populo exigant, pauca diſtribuant, deeſſe tamen ſibi plurima ſentiant? Intelligant tamen, vertendum id miraculo ſapientiæ, & Frugalitatis Tuæ. Sapientiæ quidem, quæ ferrifodinis inventis, abſterſis, exſiccatiſque Paludibus, aliiſque id genus artibus, naturam ipſam ſibi vectigalem fecit: Illi penſanda impoſuit Tributa Populorum, & diſtribuenda ſæculis dona. Nec dictu abſonum puto, Naturam ipſam rerum, in certamen veluti Liberalitatis adductam, quas gremio condit divitias ſponte ſuâ largiſsimè profudiſſe, implevisse agros ubertate multiplici: Ut tantæ Liberalitatis materiem ſufficeret; & diſpenſanda mortalibus, ſæculiſquè omnibus munera GREGORIO Parenti optimo ſuppeditaret.

Suâ induſtriâ.

Tri-

Tribuendum prætерea Frugalitati Tuæ, GREGORI, quæ omnem luxus materiem, quæ infinita propemodum solet esse Principibus, in Liberalitatis materiem convertit. Sed non ingens tantùm Liberalitatis fructus in mortales omnes ex hac Parsimoniâ profluxit. Frugalitate etiam istâ impositus est alienis cupiditatibus pudor: pulsa indigentia, quam immodica cupiditas parit. Cum enim ad mores Principis componamur omnes; quis auderet remotorum littorum pisces, peregrini aeris volucres, alieni temporis flores optare; cum videret Principem suum, Terrarum, hominumque Dominum, parcè contentèque viventem, modico, & vulgari cibo jejunia longa solantem? *& Frugalitate, cujus exemplo omnium cupiditates imminuit,*

Immodicis itaque cupiditatibus demptis fecisti Posteris dubitandi locum: Tene liberalem magis Liberalitate ipsa; an Frugalitate præstiteris. Enimvero haud satis scio, magisne ille divites faciat, qui opes cupientibus donat, an qui cupiditates ipsas imminuit. Cum enim opes, non secus ac addita igni materies, cupiditatis immodicæ flammas non extinguant, sed augeant: quò plures opes suppedites; eò cupidiores interdum, ac miseriores facis: plura sufficiens irritamenta cupiditatis, & incrementa indigentiæ. Ubi verò modum cupiditatibus ponas, subtractâ indigentiæ causâ, eò divites magìs, quò minùs cupidos facis. Utcumque res habeat, sapienter, ac liberaliter, Munificentissime Pontifex, utro- *ac proinde omnes ditavit.*

 que

que humanæ Reipublicæ à Te consultum est modo, vel Beneficentiâ, vel Parsimoniâ tuâ. Altera opes mortalium auxit: Altera cupiditates compressit: Utraque divites fecit.

3. Bonarum Artium cultu, Perge, quæ reliqua publicę Felicitatis pars est, Bonas Artes, ac Disciplinas erigere jacentes, earumq; Dignitatem, & cultum augere: Quid enim est ignava, & opulenta Tranquillitas, nisi plurimorum illicium, & lenocinium vitiorum? At quo tandem in loco *cui promovendo* Gregorius *erexit: Collegium Romanum.* ista commemoro? Nempe in hoc Romano Lyceo, quod meritò Regiam dixerim GREGORII Beneficentiâ Bonarum Artium perpetuitati, ac dignitati constructam. Vagabantur passim incertis sedibus præstantissimæ Artes: Nusquam ferè domicilium stabile, ac certum habebant. Cum enim suapte naturâ, & ingenio studiosæ sint Pacis, & Tranquillitatis sociæ; quo tandem in loco sibi stabilem sedem deligerent, in ea perturbatione temporum, cum ubique Tranquillitas domicilium haberet in fuga?

Sapiens hoc Tuum consilium, GREGORI, quòd Orbis Catholici Tranquillitate compositâ, præclaris Artibus, quæ Pacis ornamenta sunt, ac præsidia, in hac Urbe Urbium Reginâ, non stabilem modò, sed perpetuam sedem, & quoddam velut imperium decernis. Bene est, quòd Magnificentiam animi Tui, non ut Imperatores olim, ad Amphiteatra crudelitati dicata convertis, non ad Thermas castra luxuriæ, sed ad Lycea sapientiæ augustissima, & Bonis artibus sacra.

ſacra. Ut ſpiritum, ſanguinem, & Patriam recepere ſtatim Artes optimæ, ubi ſenſere, redditas ſibi in hac Urbe Dominâ Gentium Athenas ſuas! Abundè quidem ad earum felicitatem ſanciendam, amplificandam latiſſimè dignitatem, & cultum. Hìc enim præſtantiſſimis diſciplinis imbuitur ex omnibus ferè Nationibus delecta Juventus, reditura ad regiones ſuas, ditata eruditione multiplici, atque aliis impertitura eas doctrinarum opes, quas ſibi in hoc ipſo loco, velut è quadam fodinâ ſapientię comparavit.

Sed nihil unquam ſatis GREGORIO fuit, cum eſſet aliquid amplius. Quid enim tam grande? quid tam ſumptuoſum, atque magnificum ad augendas, vel ornandas, vel etiam firmandas, ac ſtabiliendas præclariſſimas Artes excogitari opportunum potuit; quod tanti Pontificis Providentiam effugerit, Liberalitatem fatigaverit, vicerit Magnificentiam? Occurrunt hìc ſtatim Typographiæ ampliſſimæ, quas in ſubſidium Literatorum inſtruxit. Occurrunt innumeræ, celeberrimæque Academiæ, quas vel primò erexit, vel ſuſtinuit labentes, vel inopes locupletavit. Sed hunc ſibi præcipuè vendicant Orationis locum immortalia Gregorianæ Beneficentiæ Monumenta, quæ in hujus Aulæ coronidem ſuis diſtributa coloribus, veſtros invitant oculos, Auditores, meamque incuſare videntur in dicendo moram: Tot nimirum Seminaria, GREGORII manu ubiq; Terrarum ſata.

Typographiæ. *Academiæ.* *Seminaria.*

Et primò quidem Collegia tam multa, quæ hac ipsâ in Urbe non erexit modò, sed aluit, & proventibus annuis locupletavit: Ut cùm Nationes exteræ, ad hauriendas liberales Artes Romam confluerent, quò libentiùs facerent, non Præceptores tantùm Romæ invenirent, sed Parentes, Domum, & Patriam suam. Vestram hìc Patriam Germani habetis, & Ungari; Vestram, Angli; Vestram, Græci; Maronitæ, vestram. Vos, quotquot Romam confluitis, Bonæ Artes excipiunt, ut Cives; Vos Pontificiis proventibus alunt; Vos ad honores, ac dignitates promovent; Vos denique disciplinis optimis imbuunt, ut eas ipsas in Regionibus vestris aliquando reduces dispergatis.

Romæ.

Quid etiam, quòd Romam quodammodo per universum Orbem circumferens, ubique Collegia posuit, quorum Catalogum texere ipsa prohibet multitudo? Quamvis enim supra reliquorum hominum conditionem elatus, nunquam tamen se hominem esse, ac mortalem oblitus; gnarusque propterea felicitatem illam, quam Orbi Catholico procreare contenderat, perpetuò se tueri non posse; modum invenit, quo vel absens in posterum tutaretur. Ubique Terrarum Seminaria posuit, quæ in spem Orbis Catholici alerent Principes optimos, Sanctissimos Præsules; Virosque sapientes: Qui, GREGORII Beneficentiâ, & moribus innutriti, futuri aliquando essent publicæ Tranquillitatis Præsidia,

& ubique Terrarum.

dia, Calamitatum Vindices, Bonarum Artium Auctores, Universæ denique Patroni felicitatis.

Quòd si qui Populorum Felicitati prospicit, jure optimo dici Populorum Felicitas debet; An non Sæculorum Felicitas is appellandus est Princeps, qui Orbis universi, & subsequentium omnium Sæculorum Felicitati prospexit?

QUID VERÒ, Auditores, quòd Civilis ista Felicitas, quæ postremum est vulgò Populorum Votum, optimorum etiam Principum meta, initium dumtaxat, ac fundamentum est, ac primus veluti gradus excelsioris longè, ac Divinioris Felicitatis, quam Sanctissimus Pontifex Orbi Universo, Sæculisque omnibus moliri semper, atque impensissimè studuit? Illius nimirum, quæ in veræ Religionis cultu, & Divinissimarum Virtutum studio sita est? Quæ duo ad immortalem Cœlestis Patriæ Felicitatem ita nos habiles, & comparatos efficiunt; ut eam ipsam spe quadam certâ prævertere, ac prælibare contingat. Huc enim semper toto pondere consiliorum, totoque nisu mentis incubuit Sanctissimus Pontifex: ut Divinam hanc felicitatem, quæ supernæ quædam imago est, ac festinata veluti prælibatio Felicitatis, omni mortalium generi, omnibusque in posterum sæculis compararet. Quorsum enim putatis tot artibus partam Tranquillitatem Orbis Catholici; nisi ut consociata fœdere Catholicorum Principum arma, omnia in Romanæ Fidei ho-

II. ORATIONIS PARS.

Superna Felicitas, præcipuus Gregorii Scopus,

Duobus constituitur:

ſtes converteret, iiſque demum ſubactis, in Orbem univerſum inveheret veræ Religionis cultum? Quorſum tot opes, ac munera in omne mortalium genus ab Ejus Liberalitate profuſa arbitramini; niſi ut occupatos beneficiis animos ad morum integritatem, & ſanctimoniam volentes impelleret, & ad Diviniſſimarum Virtutum ſtudia inflammaret? Quorſum denique tot ubique Terrarum Bonis Artibus extructa Domicilia; niſi ut Divinæ hujus Felicitatis perpetuitati conſuleret, ubique poſitis Romanæ Fidei caſtris, ubi totidem, ut ita dicam, ſacri milites, Gregoriano ære conducti, ſanctioris militiæ Tyrocinia ponerent, ad tuenda perpetuò, & augenda veræ Religionis jura?

1: Veræ Religionis cultu

Hìc verò quàm ingens mihi ſe aperit dicendi campus, ſi anguſtiæ temporis ferrent? Quam enim Orationem expoſcerent, acciſæ tot Hæreticorum vires; tot Nationes, ad veræ cultum Religionis traductæ; tot Belli apparatus, ac ſtudia, in ſpem Orbis univerſi ad Fidem Catholicam redigendi?

Gregorii zelus in Religione tuenda adversùs Hæreses,

Quàm eſſet dulce, quàm copioſum referre, quâ Sapientiâ, & Virtute Ugonotorum vires infregerit, Truxeſium Coloniâ exturbaverit, Lutherum in Germania vexaverit, in Gallia penè Calvinum extinxerit, è Belgio Bajum ejecerit, Dioſcorum denique, cum Neſtorio, toto Oriente depulſos, ac perditos exterminarit? Immenſum eſſet Svecum, Danum, Moſchum, Bungos, Thraces, Braſiles, Æthiopes,

pes, Indos, Persas, Japones, aliasque Nationes, Insulasque oratione percurrere, quas toto divisas Oceano, curâ tamen Pontificis, & Parentis Charitate complexus, vel Fidei mancipatas, deditas Tibi, Roma, fecit; vel Pontificiæ Majestatis veneratione perculsas inspexit.

Incredibile denique, quo labore, & constantiâ Catholicos Principes stimulaverit, ut junctis viribus, sacro bello Othomanicum nomen delerent; ob id Pontificiis ferè opibus classes ornaverit, Hispanico, Thyrrenoque mari commissas, in Thraciam alteras trecentis triremibus, & septuaginta militum millibus instructas; alteras in Rebellis Angliæ littora, non minori virium apparatu munitas. Atque utinam ingentibus Votis pares habuisset Catholicos Principes, nulliusque desidiâ peccatum esset! Vidisset Felicissimus Pontifex obsequentem Catholicæ Fidei Orbem Universum, & quod unicè optabat, Divinæ participem Felicitatis. Sed quamvis eventus minus consiliis responderit; nullâ tamen diminutus est parte Pontificiæ Magnanimitatis splendor: accessit verò Constantiæ laus, quæ loco Victoriæ stetit. *& propagandâ toto Orbe Terrarum.*

Quod verò ad alteram spectat Divinæ hujus Felicitatis partem, Divinissimarum videlicet amorem virtutum, & cultum, quàm multa mihi cursim dicenda sunt, quæ integram sibi laudationem, vel singula vendicarent? Incredibilis nempè Vigilantia Pastoris, *2. Divinarum Virtutum studio.*

storis, quâ non Juventutis modò, sed omnium ætatum moribus, ad omnem virtutem formandis, ita semper incubuit; ut Draconem, vigilantiæ symbolum, Boncompagnæ Familiæ gentilitium stemma contigisse Divinitus putem, ad GREGORII Vigilantiam, vel promittendam, vel adumbrandam. Mira illa in præcavendis, puniendisque criminibus admista Clementiæ Severitas, Severitati Clementia: Adeò ut quos clam corripiebat, dissimularet palam; & quos publicè puniens insequebatur suppliciis, privatim parcens commiseratione, & lacrymis prosequeretur; amaretque miseros, quos scelestos odisse cogebatur. Quo quidem temperamento virtutum præcavit Bonis, ne mali fierent; Malis, ut mali esse desinerent. Verebantur scilicet Boni Justitiam lædere, amore Clementiæ; Mali, Clementiâ abuti, timore Justitiæ.

cui prospexit Pastoris Vigilantiâ.

Clementiâ Principis,

Judicis Severitate;

Suo exemplo.

Sed ad hanc Felicitatis partem mortalibus conciliandam, optimo usus consilio, omnes in Se uno complexus est, maximas, divinasque Virtutes. Cum enim Summus Pontifex in supremo rerum humanarum apice positus sit; ut Orbi universo doctrinæ luce, & sanctimoniæ exemplo præfulgeat; Ad Eum omnium mortalium diriguntur obtutus: Omnes imitari desiderant, quem mirantur: atque ad ejus normam suos mores conformando; ad ejus similitudinem imitatione assurgere exoptant. Omnes ergo homines optimos, vel ut optimi fieri possent,

GRE-

GREGORIUS fecit, cùm Se optimum omnibus præbuit omnium Virtutum Exemplar.

Quàm feliciter deniq; per Sacerdotes, suis sumptibus, suis consiliis, operâ suâ institutos, formatos, ac formandos in posterum Divinæ hujus Felicitatis perpetuitati prospexerit, testantur satis tam multi, qui vel profuso sanguine Religionem Catholicam fortissimi Martyres irrigarunt; vel sapientissimi, ac vigilantissimi Præsules, Romanam Fidem in Germaniâ præsertim, atque Britanniâ periclitantem, adversùs hæreses tutati sunt; vel Purpurati amplissimi, Romanæ Sedis dignitatem, ac decus ornarunt; vel etiam Pontifices Maximi, Sanctissimis legibus Religionis cultum, & morum Sanctitatem auxerunt. Adeò ut, quoties profluentes ab hisce Gregorianis sapientiæ, virtutisque Seminariis Catholicæ Fidei proventus mecum ipse recolo; toties in hanc spem assurgat animus: fore aliquando; ut GREGORII vota, ac studia, quibus veræ Religionis cultum, & sanctitatem morum invehere in universum Orbem contendit, per Alumnos suos, ab illa Superûm, ubi jam quiescit, Arce videat feliciter impleta.

3. Utriusque perpetuitati prospexit.

Quid ergo reliquum fecit Sanctissimus Pontifex, ut omne Felicitatis genus, vel universis Mortalibus pareret, vel Sæculis omnibus confirmaret? Quanto itaque jure appellari à Nobis SÆCULORUM FELICITAS debet, & si quid speciosius, si quid Divinius in Mortalem cadere Deo simillimum potest.

Re-

Reliquum eſt, ut ſuam Felicitatem Sæcula GREGORIO acceptam ferant: hoc in initio, hoc in decurſu, hoc in ipſo interitu profiteantur: & quas ipſa per ſe ſe ſatis perſolvere grates non poſsunt, ſuo etiam nomine, ſubſequentibus Sæculis perſolvendas committant. Fecit Sæculum iſtud, facient ſubſecutura omnia: & in hoc ipſo loco facient, quem Tanti Pontificis Beneficentia Æternitati ſacrum voluit; & Societas noſtra, tot obſtricta memoriâ beneficiorum, immortalibus Tanti Pontificis laudibus ſacrum perpetuò fore decrevit. Dixi.



LUDO-



LUDOVICI XIV.

REGIS CHRISTIANISSIMI

ORATIO FUNEBRIS,

Habita Romæ in Lateranensi Basilica
Anno MDCCXVI.



Fuit Magnus secundùm nomen suum. Eccl. 48.



UEM extinctum lugetis, EMINENTISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, PRÆSULES ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI DOMINI, Cui religiosè adeò, ac splendidè, ut Vos atque Illum decet, justa persolvitis, Cui magnificum hoc erexistis doloris, obsequii, & grati animi Monumentum, Eum Ipsum immortali fletu luget Gallia, luget Religio, luget Orbis terra-

terrarum universus: Gallia, quòd Regem Magnum amiserit; Religio, quòd Magnum Vindicem; Orbis terrarum, quòd Magnum Heroem: LUDOVICUM videlicet Quartum-decimum, Christianissimum Regem, cognomento MAGNUM, & undecumq; Magnum, secundùm Nomen suum. Æquavit enimvero undequaque amplitudinem, Majestatemque Nominis LUDOVICUS, Animo, Imperio, Religione: Animo prosperis æquè, ac adversis infracto; Imperio, per omnia Pacis, Bellique ornamenta diutissimè gesto; Religione, ab erroribus, ac vitiis acerrimè defensâ, & magnis impensis, & curis studiosissimè propagatâ. En vobis, Auditores, tria veluti Simulacra, quæ totum spirant LUDOVICUM MAGNUM; MAGNUM, inquam, HEROEM, REGEM, VINDICEM RELIGIONIS. Tria hæc ubi summatim perstrinxerim, peroravero.

PROPOSITIO, ac DIVISIO.

I. ORATIONIS PARS.

Ludovicus *Heros Magnus in utraque fortuna.*

AC PRIMÒ quidem, Magnus ille procul dubio censendus est Heros, & illustri hoc Titulo, assensu omnium, & prædicatione decorandus; qui utramq; Fortunam, velut è loco editiore despiciat; utrâq; Altior, utrâque Major: qui neque à secunda efferatur, neque frangatur adversâ; in altera Moderatus; in altera Fortis; utrimque Magnus. Habetis, Auditores, paucis expressam imaginem LUDOVICI MAGNI; qui in cumulatissima felicitate, Moderationem; in gravissimis infortuniis, Constan-

In prospera Moderatus.

tiam

tiam HEROE MAXIMO dignam præ Se tulit.

Quis Illo felicior, qui diu sterili Thoro, non sine præsenti Numinis Providentiâ donatus Terris, atque in sinu felicitatis exceptus, incredibili gaudio, jamdudum anxia, atque sollicita Gallorum vota cumulavit? Magni Regis Filius, Regni florentissimi Hæres, iis illico corporis, animique Dotibus instructus apparuit, quæ Regem è Cœlo delapsum, ac divinitus institutum spirarent, atque omnium in se amorem, venerationem, admirationemque converterent. Quinquennis Puer, Rex inauguratus, regia omnia præ Se tulit præter ætatem, cujus accessu eâ felicitate Regnum amplissimum, tam diuturno annorum, gestorumque curriculo administravit; ut non Gallia tantummodo, sed Europa, sed Orbis terrarum, insuetis plausibus, & gratulationibus personaret. Quàm multa, quàm magna, quàm ardua, exterorum etiam beneficio Populorum, Regno suo major LUDOVICUS susceperit, atque ad felicissimum exitum, finemque perduxit! Hinc adeò omnia longè, latèque impleverat Famâ Magnitudinis suæ; ut ab extremis usque Terrarum plagis, tot venerabundos in Oratoribus suis Reges acciverit, novi Salomonis visendi studio succensos.

Res prosperæ: Ludovici Magni Felicitas; In Pace,

Quid Felicitatem bellicam memorem? Quis captas Urbes, Arcesque recenseat? Quis partas Terrâ, Marique Victorias? atque eâ vincendi celeritate; ut Inimicorum Terror, atque Orbis Prodigium di-

In Bello;

ceretur: nec suorum modò, sed exterorum, sed hostium ipsorum consensu, atque suffragio audierit: LUDOVICUS MAGNUS! O verè, atque omni ex parte Felix LUDOVICE! Felix illis Natalibus; Felix corporis, Felix animi dotibus; Felix nobilissimo Regno; Felix opibus; Felix Potentiâ; Felix Virtutibus; Felix Te ipso; Felix tot consiliorum tuorum Administris, quos Sapientiæ Tuę Alumnos ad omnem solertiam, artemque regnandi formaveras, hòc etiam Sapientes, quòd Te longè sapientissimum mirarentur, ac velut à Te illustrata Sidera, Te Sapientiæ Solem præclarissimum prædicarent; Felix exercitibus; Felix triumphis; Felix tot fortissimis, & rei militaris peritissimis Ducibus, à quibus Ipse Ducum præstantissimus habereris; Felix denique amore, cultuque Populorum; Exterorum plausu, ac obsequio, Inimicorum metu, ac reverentiâ, Orbis totius admiratione, ac laudibus! Ecquid est, Auditores, quod tantæ Felicitati addi possit? Est enimverò: si eam ipsam ad omnem æternitatem propagatam, exaggeratam in posteris videat. Vidit ad felicitatis suæ cumulum LUDOVICUS. Vidit Liberos, ac Nepotes, ad quartam usque seriem Posteritatis exortos, à quibus Pater, Avus, Proavus salutaretur. Quid mortali optabilius contingere, quid Regi cumulatius potest, quàm suam quodammodo immortalitatem in Posteris suis intueri, nec præsentis tantummodo, sed futuræ etiam gloriæ incrementa prospicere, & prægustare?

In Nepotibus.

Jam-

Jamvero Quem Se Ludovicus in tam prosperis rebus exhibuit? Num Ille omni ex parte obsecundantis fortunæ impetu abripi, aut amplioris semper Imperii fastigio efferri se passus est? Immo verò quò felicior, eò melior, augustiorem Humanitate, ac Moderatione; quàm Dignitate, ac felicitate Se præbuit. Cum Homine major quodammodo haberetur; hòc magìs ex æquo cum hominibus sibi agendum ducebat. Eâ Benignitate cum suis versari gaudebat, ità ingenitam, & divinum quid spirantem temperare Majestatem; ut Rex, & Princeps non nisi Humanitate ipsa, ac Munificentiâ dignosceretur. Patebat omnibus aditus ad Regias Ædes: Liberum erat unicuique Regem invisere, alloqui: Liberum erat, & conqueri. Et quamquam nunquam magis iniquum sit, de eo Principe queri, quàm de quo magis licet; incredibili tamen animi moderatione, ac magnitudine procaces interdum querimonias mitissimus Princeps ferebat: Nec ferebat modò, sed comis excipiebat, ac libens: ut omnibus potestatem expostulandi faceret: & causas, quantùm humana conditio, quantùm sors Regum pateretur, adimeret. Licebat miseris civibus, suas deprecari calamitates; gregariis militibus, sua ostentare vulnera: quibus amantissimus Princeps indolere consueverat: & in aliena calamitate, ut ait Quintilianus, sui ipsius miserebatur. Præclarum istud moderati, atque ingentis Animi argumentum: Quod se hominem cogitet,

Ejusdem Moderatio, *Benignitas,* *Humanitas,* *Mansuetudo;* *Comitas,* *Charitas;*

gitet, qui hominibus imperat: Seque obnoxium calamitatibus putet, qui obnoxiam sibi Felicitatem intuetur.

In felicibus bellorum eventibus

Jam felices bellorum eventus, quâ Moderatione excipiebat? Non insolitis, non impotentibus efferri gaudiis: Gratulationes, triumphos, ac plausus constantissimè detrectare. Nihil sibi gloriæ vertere: partem militibus, partem Ducibus, omnia Moderatori Regum, Regnorumque Deo adscribere, Eique accepta referre, & sacris solemnibus celebrare: Adeò ut LUDOVICUS vinceret, & EXERCITUUM DOMINUS triumpharet. Noverat nimirum Vir sapiens rerum humanarum vices. Noverat, fluxam, atque evanidam esse fortunæ assentantis auram, nec mendacibus ejusdem illecebris, aut instabili ingenio, fiduciam cordati hominis niti posse. Juvat hic Julii Cæsaris meminisse, qui mediâ hyeme, atque æstuante ventis Mari, exiguæ se committens naviculæ, ut immensum penè tractum aquarum trajiceret: cum præsentis periculi metu exanimem Nauclerum videret; *Quid times*? inquit, *fortunam Cæsaris vehis*. O vocem tanto Viro indignam! Adeòne ignorabat Fortunæ inconstantiam, atque irati Maris indolem, non tam plebejis naufragiis, quàm regalibus superbientem! Quàm suâ Ipse mergi fortunâ meruerat, quâ tam superbè abutebatur. Atqui LUDOVICUS nunquam fortunæ suæ confisus, quidquam temerè aggressus est: Omnia maturè, ac sapien-

Moderatio

Religio

Sapientia

pienter molienda arbitrabatur : atque in tam diuturno rerum ſecundarum curſu, ſemper ſibi incipiendum, ſemper ſibi promerendam, faciendamque, quâ fruebatur, proſperitatem putavit. Quid, quòd penè incredibili ſibi imperantis animi documento, ſuam Ipſe novit ſeriem, atque curriculum Victoriarum, ſtudio Pacis abrumpere. *Animi Magnitudo.*

Prodit hoc, LUDOVICE, Magnitudinem tuam, quòd tam ingentem Fortunam æquo animo tuleris, nec in ſuperbiam, quæ depreſſio eſt animi, cupiditati gloriæ ſerviliter obſequentis; Te inaniter efferri permiſeris: Sed felicitate Tua, licèt maximâ, Major Ipſe, parem illi moderationem objeceris. Verumtamen unam dumtaxat, eamque minùs præcipuam id prodit Tuæ Magnitudinis laudem. Qui obſequentem, blandientemq; fortunam, irretortis penè dixerim oculis excepiſti, quærendum jam ſupereſt, num etiam adverſantem, ac ſævientem invictus, ac ſerenus exceperis. Magnum eſt Felicitati moderationem, Majus opponere calamitati Conſtantiam. Idcirco Supremi Numinis Providentia, læta ſæpe triſtibus, proſpera adverſis intexuit: Ut in hac viciſſitudine, & conflictu rerum totus extares.

Age jam, LUDOVICE, Conſtantiâ quì valeas, profer. En Tibi Victoriam, quæ Tuis jamdudum addicta Vexillis, Tuis oppignorata ſtipendiis, Tibi mancipata videbatur; En deficientem, rebellantem, ad hoſtium Caſtra fugientem intuere. Vidit *2. In adverſis conſtans. Res adverſæ, In Bello.*

Ludovici Magni Constantia. LUDOVICUS. At quemadmodum vidit? Non secus, ac viderat obsequentem. Eodem vultu nuncia cladum, ac priùs Victoriarum excepit: Eâdem animi tranquillitate captas Urbes audiebat, quâ capere ante consueverat. Invicto scilicet animo, cum adversâ fortunâ, sibi luctandum putavit. Cùm præliis victus est, Constantia loco Victoriæ stetit: ac dubii locum fecit; gloriosior ne vicerit, an vinceretur. Macte hâc Virtutis gloriâ, HEROS præstantissime, atque eâdem constantiâ perfer, sæviùs adversantem fortunam, seu potiùs Providentiam Numinis, Virtutes Tuas exercentem severiùs, gloriosiùs efferentem. Jam propiùs accedit Calamitas: Res adversæ Domi. Regiam obsidet Domum: & quas laureatis hactenus militibus clades intulerat, jam infert Tuis. Suorum Funera.

Delphini I. DELPHINUM, Charissimum Filium, Cui regalibus, ac sanctissimis moribus instituendo, tantum Regiæ curæ, ac sollicitudinis impenderas; quem Tuis inhærentem vestigiis, Tuas referentem Virtutes, Tibi, Galliæ, Romæ, ac Cœlo meritò gratulabaris; quem Successorem tuum, Regno dignissimum, atque Orbis ornamentum formaveras, Amantissime Genitor, immaturâ morte Tibi præreptum vidisti. O dignam vel tuis lacrymis calamitatem! Hoc tamen dolori Tuo solatium esto. En Tibi DELPHINUM alterum, Burgundiæ Ducem, quem Gallia novam spem Imperii nascentem vocaverat, Filium non imparem Patri, Nepotem non absimilem Delphini II. Tibi,

Tibi, Mentis amplitudine Regno amplissimo parem, & quod caput est, eâ morum integritate, Pietate, ac Sanctitate fulgentem; ut DIVUM alterum LUDOVICUM Galliæ destinet, Ecclesiæ spondeat, Cœlo polliceatur. Sed ò magni luctus breve solatium! Hunc ipsum Calamitas petit, ac perimit: In ipso Juventutis flore, Galliæ rapit, ac Tibi: & nondum obductam gravissimi, quod acceperas, vulneris cicatricem graviori vulnere cumulat, aggerat funeri funus, dolore dolorem exasperat. DELPHINUM saltem Tertium Britanniæ Ducem, speciosissimum Puerum, qui totum spirat Genitorem, qui Avum ipsum, immo & Augustissimum Proavum oris habitu refert, Hunc saltem servate, Superi, ne Regiæ, & Regni spem reliquam dolenti Galliæ, & merenti LUDOVICO mors rapiat. Proh irrita vota! Hunc quoque mors rapuit. Ne huic quidem tenerrimo Flori pepercit: Hanc quoque innocentissimam Victimam crudelitati suæ immolavit. Num tandem satis? Nondum ne funereus iste calamitatis Turbo desçviit? Utinam satis! BITURICENSEM DUCEM, quem ad Augustæ Domus felicitatem natum interpretata est Gallia, Hunc etiam Mors in partem sævissimæ cladis vocavit. Hoc etiam, in Borboniæ Domus Cœlo, lucidissimum Sidus extinxit. Quid memorem, quòd in primo illo furentis tempestatis æstu, MARIAM ADELAIDEM Sabaudam, Burgundi Uxorem lectissimam, quam ob eximias,

Delphini III.

Ducis Bituricensis.

Adelaidis Sabaudæ.

mias, tum Naturæ, tum Virtutis dotes, Tibi commendatam, LUDOVICE, uti Filiam charissimam diligebas; ac senectutis Tuæ solatium appellare consueveras; Eam ipsam, ætate florentem, & fœcunditatis suæ fructu nequicquam lætantem, vix dato, inter Conjuges, & Filios tot Funerum spatio, uno propemodum ictu, Mors cæca, Mors impacata peremerat? O deplorandam in sæcula Funerum seriem!

At qui Tuus doloris sensus, LUDOVICE, cum tam funestam procellam exciperes, quæ tot, florentissimaque Tuæ Regiæ stirpis genimina excidit, atque eam, quam in Posteris Tuis ominabare, felicitatem tam brevi tempore evertit? Cum Te præsentem tot, ac tam lugendis Tuorum funeribus sisteres? Cum Galliæ totius mœrorem, ac luctum, quæ cladem Tuorum, atque Orbitatem Tuam, suamque dolebat, lugebatq; intuereris? Magnum Constantiæ Tuæ argumentum, quòd penè senio confectus, vim tamen doloris sustinebas, totque infixis cordi vulneribus, quorum recens semper acerbitas, nondum obductam veterum cicatricem refricabat, Te tamen superstitem, incolumemque servaveris. Majus, & plusquàm heroicæ argumentum Constantiæ, quòd Te tam invictum, & calamitate Tua majorem exhibueris; ut tristissima hæc, funestissimaque Tempestas animum Tuum, non dicam obnubere, aut perturbare, sed ne occupare quidem potuerit; quo

Ludovici Magni Constantia,

quo minùs interea consiliis pro more præesses, Regni negotia expedires, acceptas à militibus Tuis, quæ eo ipso tempore nunciabantur, clades redimeres, iis quę timebantur, occurreres, omnia deniq; eâdem mentis tranquillitate, & præsentiâ transigeres, quâ prius uti solebas, cum omnia Tibi pro voto cederent, & prospero flatu Fortuna velificaretur? Aut ego vehementer fallor, aut parem animi Constantiam, apud omnem retro antiquitatem frustra quæremus. *Animi Magnitudo.*

Unum superest, LUDOVICE, argumentum Virtutis, ac Magnitudinis Tuæ. Num eandem, tot calamitatum Victricem animi firmitatem in supremo Vitæ discrimine præstitisti? At non eandem, sed majorem enimvero, sed maximam, supra quàm dici possit, exhibuit. Adeò ut Nemo (Tua hic testor, CLEMENS Pontifex Maxime, oracula potiùs quàm verba) ut nemo ex veteris Philosophiæ Sectatoribus, tam magnificè contemptum mortis decantaverit in Scholis, quàm Ille fortiter prætulit in arena. Cum in sinu optatissimæ Pacis dies felicissimos duceret, morbo corripitur, qui diem Illi supremum denunciat. Quâ serenitate, ac tranquillitate fatale nuncium, quo vitâ, Regnoque excedere jubebatur, excepit? Quo imperterritę mentis, ac Vultus habitu, mortem foribus incubantem non paucos dies sustinuit? Quâ Pietatis constantiâ Divinis rebus, sibique ad immortalitatem comparando *In morbo, ac mortis articulo Ludovici Magni Constantia.* *Pietas.*

Providentia. animum intendit? Quâ Providentiâ, & curâ felicitati Populorum, ac novo Regi instituendo consuluit? Adeò ut viribus integer, vel propediem moriturus, videretur! Quid, quòd Eos, qui tanto vel doloris, vel constantiæ spectaculo aderant, cum à lacrymis temperare non possent, unus qui lugebatur, LUDOVICUS, solari lugentes nitebatur: quin vel ipsos redarguens: *Itane*, inquit, *me immortalem credidistis?* O voces, quòd mortalitatis immemores admoneret, immortalitati consecrandas!

Prodeat hìc Alexander, qui acceptum vulnus mortalitatis suæ argumentum interpretanti Philosopho ita succensuit; ut reum mortis damnaverit. Hiccine Magnus Ille, quo adeò jactabunda superbit antiquitas? Non ego Illum Heroibus adnumerem, qui fortunâ superbiat, sed qui vulgus hominum Virtute transcendat: Hæccine tandem magna Virtus, intantùm efferri felicitate; ut Tibi immortalis videare? Intantùm vinci calamitate; ut mortalitati Tuæ irascare? Quàm verè Magnus, LUDOVICE, Qui mortalitatis Tuæ perpetuò memor, ac patiens, immortalitatem in terris Tibi non pateris, nec arroganter tribui, nec amanter optari! *Itane me credidistis immortalem?* Hæc tandem vera, Hæc magna, Hæc maxima Virtus, ac Tua, LUDOVICE: quòd à neutra Victus fortuna, immo utriusque Victor, alterius illecebras excelsitate animi supergressus, ne Tibi præesset, evasisti; alterius odia, Constantiâ animi su-

ſuperans, ut Tibi ſuccumberet, coegiſti. Adeò ut in utraque ſuperanda HEROEM Te undequaq; MAXIMUM comprobaveris.

HACTENUS LUDOVICI laudes, nunc REGIS accipite. REGEM MAXIMUM ſeſe Pace, Belloque probavit. Quot enim in Heroico Principe pacatæ Virtutes? Quo ſplendore cultuque fulſerunt? Quis ſatis Regiam verè Prudentiam demiretur? ſive delectos publicæ gerendæ rei Adminiſtros, quos ſingula vix ederent ſæcula, contempletur: ſive res ſapientiſſimè diſpoſitas, ſive eaſdem fortiter ad exitum, coronidemque perductas. Quis integerrimam Æquitatem, dum aut publica Munera partiretur, aut Virtuti erogaret Pręmia, aut Supplicia criminibus irrogaret? Quis Magnificentiam Regi Potentiſsimo parem, ſeu Reges avito Regno extorres exciperet; ſeu bonas Artes Donariis ampliſsimis ad omnem laudem excitaret; ſeu auguſtas Moles, manſuraque in omnem ætatem Monumenta conderet; ſeu tandem, Opere, vel Cęſaribus fruſtra tentato, Maria ipſa committeret.

II. ORATIONIS PARS.

Ludovicus Magnus *Rex Magnus in pace, ac bello.*

1. In pace: propter maximam Prudentiam in deligendis Miniſtris, rebus componendis, & ad exitum perducendis; Æquitatem in muneribus diſtribuendis, præmiis, aut ſuppliciis irrogandis; Magnificentiam in exteris excipiendis, Artibus promovendis, Molibus conſtruendis, Maribus committendis.

Quid verò bellicas laudes aggrediar, quæ in omnium ore, ac prædicatione verſantur? Quæ in Eo rei militaris Scientia, quam ſuis Ipſe experimentis didicit, ſuis Monimentis edocuit, inventis denique ſuis ad ſummam gloriam, culmenque perduxit? Quàm mira Fortitudo! Quàm invicta Conſtantia! Quàm Temperantia ſingularis! Quanta demum Authoritas, quàmque pervagata apud Suos, apud Exteros, apud Hoſtes! En

2. In Bello: propter maximam Scientiam rei militaris, Fortitudinem, Authoritatem.

En vobis, Auditores, paucis expressum, alterum Orationis Caput, uberiùs exponendum, nisi omnem copiam, facultatemque dicendi, argumenti Magnitudo superaret. Pace itaque Tuâ, LUDOVICE, tot Regias laudes prætereo, quæ Te REGEM MAXIMUM prædicant: Majus Tibi gloriæ additamentum fore ratus, si laudator sileat, quàm si jejunè, parcèque laudet: Cum præsertim sciam minùs Te delectari in præsentia, quòd REX MAGNUS, quàm quòd MAGNUS VINDEX ASSERTORQUE RELIGIONIS extiteris. Tertiam hanc Orationis meæ partem, quæ præcipuè hunc locum decet, expediam.

III. ORATIONIS PARS.

Ludovicus *Vindex Magnus Religionis.*

Reges Dei Vicarii.

REGES, ac Principes, qui Dei vices in Terris gerunt, & Vicariam præ se ferunt Supremi Numinis Majestatem, ejusdem honori tuendo, promovendoque, omnem fas est, quam ab Eo accepere Potestatem, & Authoritatem impendant. Præcipuum hoc Christiani Principis munus. Quid enim vel ad Populorum felicitatem accommodatius, vel ad Imperii securitatem utilius, vel ad nominis immortalitatem excogitari gloriosius posit? Hic tandem veræ Magnitudinis apex: Hæc summa Virtutis: Hoc veræ laudis fastigium; Si magnum Te Religionis vindicem præstes. Præstitere profectò Gloriosissimi Galliarum Reges: atque ita præstitere; ut Christianissimi appellari Pontificiis Literis promeruerint. Præstitit quàm qui maximè LUDOVICUS Quartus-decimus

Galliæ Reges Religionis Vindices, ideò appellati Christianissimi.

cimus

cimus: atque ita præstitit; ut hæreditarium nomen sibi peculiare, ac proprium effecerit. Huc enim præcipuè magnæ mentis curas, cogitationesque convertit; ut Religionem Catholicam tueretur acerrimè, ac pro viribus promoveret. Atque illud in primis cordi fuit: ut toto quàm latè patet Regno, ab Errorum, Vitiorumque colluvie, sartam eam, tectamque servaret.

Ludovicus Magnus *Vindex magnus in Religione tuenda, ac promovenda.*

Hinc Calvinianam Hæresim, nescio quâ temporum calamitate, in Gallia natam, atque innutritam, atque eò audaciæ provectam; Ut in rebellem quandam Rempublicam in Regni gremio coalescere, Templa erigere, Arces communire, ac Trium subsequentium Regum conatus eludere visa sit: Unus tandem LUDOVICUS MAGNUS, Religionis amore inflammatus, toto Regno expulit, eliminavit, extinxit. Id verò quàm fortiter præstitit! quàm sapienter! quàm feliciter!

I. *Tutatus est ab Hæresi Calviniana*

Videbat feralis Hydræ vires, quæ Majoribus suis metum, ac penè vincendi desperationem injecerant. Aggreditur. Intelligebat, in Regiæ tandem Potestatis, atque Ærarii detrimentum redundare, si tot Cives è Regno proscriberet. Proscribit. Noverat, desperatos Exules, acriores in se aliquando, ac validiores hostes futuros, Exterorum vires in Galliæ Regnum concitaturos. Concitent, tumultuentur, insaniant. Acuebant ista, non revocabant Magnum illum utilitatis cujusque, atque dispendii contemptorem

fortiter,

torem animum, cui nihil videbatur augustius, nihil erat optatius, quàm Se, suaque omnia, avitæ Religionis incolumitati, & gloriæ devovere.

sapienter, Sed illam ego præcipuè miror Sapientiam, quæ industriam omnem, & curam; omnemque hominum conditionem complexa: accomodata singulis consilia, ac mandata expediebat: eo Severitatis, & Clementiæ temperamento; ut nunc amore Principis, ac spe beneficiorum illectos; nunc Authoritatis reverentiâ, aut metu pœnarum adductos, ad Religionis Castra, à quibus defecerant, sponte suâ, ac volentes, reverti quodammodo cogeret, ac felici quadam necessitate, beatos esse compelleret. Illam sequutus Regiminis normam, quâ Supremi Numinis Providentia nostros feliciter expugnare animos solet: *attingens*, ut sacer Codex loquitur, *à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.*

feliciter. His optimis artibus, sapientissimísque consiliis, adeò feliciter confecta res est; Ut vicies centena Calvinianorum millia, ab impiæ Hæreseos jugo ad Catholicæ Religionis libertatem redierint. Pulcrum hoc genus Victoriæ, quæ non internecione hostium, sed eorum incolumitate florescit: & victos ipsos Victores facit! Triumphum lætum, ac Nobilem, quem non in servitutem redacti hostes, sed in libertatem asserti sequuntur, nec gemitibus inimicorum, sed vel ipsorum plausibus personat. Dignum Christianissimo Rege, dignum LUDOVICO MAGNO triumphum,

plum; cui nulla unquam allatura sit finem ætas, ac tota plaudet Æternitas. Tot hominum millia, quos ab errore ad veritatem, à superstitione ad Fidem revocasti, atque in spem immortalis Beatitatis, quâ ceciderant, erexisti, LUDOVICE; non secus, ac dum in Terris degeres, eam quam per Te prægustabant felicitatem, Tibi referebant acceptam, Tibique veris, ac summis laudibus gratulabantur; In Cœlesti pariter Regno, ubi tantæ Virtutis fructum uberrimum capere Te non immeritò credimus, immortalem Te auspice, ac Duce, gloriam consequuti, eam Tibi acceptam referre, Tibique æternis plausibus gratulari non desinent, ad Tuæ cumulum Beatitatis. Hanc itaque, quam adeptus es laudem, felicissimamque Victoriam Tuis omnibus bellicis laudibus jure antepones. Illæ enim Fortitudinem Tuam, quæ magna est Virtus, ostentant: Hæc Religionis intensissimum studium, atque amorem, Virtutum omnium præstantissimam, Divinissimamque deprædicat. Illæ Te Maximum Ducem proclamant: Hæc, quod est multò præstantius, MAXIMUM Te RELIGIONIS VINDICEM probat. Nonne vel hâc unâ partâ Victoriâ, primus Ipse appellari CHRISTIANISSIMUS merebare?

Sed non hoc tantùm nomine præclarum adeò cognomentum, nec semel tantummodo; Iterum, ac sæpè, ac semper magìs, hoc etiam titulo, promeruisti; quòd novis avertendis erroribus, perpetuò vigilem, *& à novis erroribus.*

gilem,

gilem, ac sollicitam curam impenderis; atque iisdem Regię Potestatis gladio stirpitus exscindendis, ad extremum usque spiritum adlaboraveris: Nec satis duxeris Orthodoxam Fidem ab Hæreseos monstris vindicare; nisi etiam ab infestis Sanctitati vitiis, ac moribus expurgares.

A Vitiis,

A Blasphemiis,

A singularibus certaminibus.

Olim in Gallia duo potissimùm Vitia inoleverant: Effrenis blasphemandi Licentia, & singularium Certaminum furor, utrumque Religioni infensissimum. Alterum Summi Numinis Majestatem rectâ petit, traducit Nomen, Dignitatemque contemnit: Alterum Vindictæ Idolum colit, eique nobilium Victimarum sanguine, & clade litat. Primum apud milites præcipuè invaluerat, quibus quædam videbatur feritatis jactantia, quâ se metuendos offerrent, si Deum ipsum procacibus linguis contemnere auderent. Alterum verò Gallicæ Nobilitati commune erat, quæ velut avitæ gloriæ insigne quoddam venditabat, libidinem ulciscendi: atque honoris culmen se assequutam opinabatur, si ad depellendam injuriam, vitam in discrimen adduceret, ac miserrimè liberalis, etiam profunderet.

Ludovici Magni *Edictum duplex contra Blasphemias, & singularia certamina.*

Feret hos mores Religiosissimus Princeps? Vix legitimam ætatem adeptus Regale solium conscendit, statim utrumque deterrimum vitium suis petendum fulminibus censuit. Ardens, & erectus ad sacrilegam ejusmodi licentiam comprimendam, se ipso augustior, totusque ad Regiam Majestatem com-

compoſitus, ex editiore loco Edictum duplex pronunciavit: Alterum, quo contumelioſa in Deum verba execratus, tanti criminis reos, à Majoribus ſuis damnatos, iterum, & gravioribus pœnis addixit: Alterum, quo ſingularia certamina deteſtatus, eos, qui inirent, bonis omnibus mulctandos, mortis ſupplicio plectendos, atque infames perpetuò habendos decrevit.

O Regnandi primordia Chriſtianiſſimo Rege digniſſima! Quàm bene, Religioſiſſime Princeps, Authoritatem Regiam ſtatim Deo acceptam refers, totamque ad ejus vindicandas injurias, & reverentiam augendam, convertis! Qui Populorum ſenſus, cum viderent, hanc primam, atque præcipuam à Te ſuſceptam Chriſtianæ Religionis, & Charitatis curam! Hòc Te magis reverebantur, quòd non Tibi, ſed Deo reverentiam præſtari juberes, & cogeres. Quæ Bonorum Lætitia? Quæ gratulationes? Cum intelligerent, tam feſtinato beneficio, à Te ſervatos incolumes tot nobiliſſimos Cives, quos veſana illa impiorum certaminum condictio, civili bello deterior, Patriæ, ac Vitæ eripere crudeliter cæſos conſueverat. Qui denique Impiorum metus, ac deſperatio? Cum Te inexorabilem Vindicem experirentur, atque omnem ſibi ademptam ſpem impunitatis viderent.

Ut compreſſa illico obmutuit blaſphemandi licentia! Ut ſtatim deferbuit ſingularium certaminum furor! *Utrumque Vitium eliminatum.*

furor!

furor! Tui reverentia effecit; ut blasphema in Deum ora improbissimi homines premerent; ut splendidis invicem odiis, ac decoro, ut putabant, sæviendi astu Nobiles temperarent. Aberrare se, ac falli tandem sensere, qui legem credebant, injurias persequi, atque ad eas vindicandas, vanâ quadam honoris specie rapiebantur. Improbari ab omnibus cœpit, quod Ipse improbabas; Infames censeri, quos Ipse censebas. Sua cuique Vita in pretio est: Nemo illam vindictæ Idolo, sed Patriæ dumtaxat, aut Religioni immolandam existimat. Nunc tandem Matres, suæ fœcunditatis fructu lætantur, cum sciant; Uni Tibi, ac Religioni servari, quos Illæ genuerint. Tam feliciter cœptis constanter insiste, Princeps Christianissime, aliaque, si quæ supersunt Vitia, eâdem, ut mereris, felicitate persequere.

Quin & alia omnia. Fecit Perpetuus RELIGIONIS VINDEX. Quo Zelo Domus Dei succensus, Ædium sacrarum Violatoribus severissimè puniendis instabat? Hanc Unam ob causam irascebatur mitissimus Princeps: Et qui tàm facilè injurias, quæ sibi inferebantur, negligere, Magnanimæ Indolis documento, consueverat, exorari nunquam potuit, ut iis, quæ sacris Ædibus inferebantur, ignosceret, & aliquando inferentibus parceret. Quid memorem exterminata Veneficia, Luxum coercitum, castigatam Intemperantiam, Desidiam proscriptam? Quid plura?

ra? Nihil à Tanto VINDICE omissum, ut Religionem, non ab erroribus tantùm, sed etiam à Vitiis sinceram tueretur. Sed nihil etiam prætermissum, ut ejus amorem, & cultum pro viribus promoveret.

Huc illa spectat singularis Providentia in Pastoribus optimis deligendis, eorumque augendo, ditandoque Censu: quò impensiùs sanctioris Doctrinæ pabulo, Gregem Sibi creditum pascerent, atq; ad omnem virtutem informarent. Huc Templa trecenta munifico sumptu à fundamentis erecta. Huc invalidis militibus Hospitium magnificentissimè extructum: Ubi Religione magistrâ secum ipsi decertare sanctioribus præliis assuescerent, ac triumphos beatissimos, atque immortales referrent. Huc Sancyriana Domus, ubi Nobiles Puellæ ad trecentas Regiis impensis perpetuò alerentur, ac Religionis alumnæ ad ejus normam educarentur. Huc tandem assiduum illud, atque impensissimum studium, ut Regiam Domum religiosissimis moribus institueret, ac seipsum præberet omnium Virtutum exemplar: Cum sciret ad Regiæ Familiæ normam, cæteras dirigi, atque componi, omnesq; propemodum Principis moribus vivere.

2. Religionem promovit: Providentiâ, Liberalitate, Magnificentiâ, Pietatis studio, & Exemplo.

Sed majore æstuabat promovendæ Religionis ardore, quàm qui posset, amplissimis licèt Regni sui limitibus contineri. In Anglia, in Hollandia, in

Ludovici Magni Studium promovendæ Religionis

toto Orbe Terrarum. in Græcia, Syria, Persia, Armenia, India, Æthiopia, toto denique Orbe terrarum, Catholicæ Religionis amorem, & cultum, quâ officiis, quâ opibus, quâ consilio, quâ Patrocinio, promovere pro viribus, atque amplificare contendit. Quàm multa hìc, ne in immensum excurram, prætereunda mihi, aut differenda sunt, quæ integram sibi Panegyrim, vel singula vendicarent?

Hoc tantùm dicam, LUDOVICE REX CHRISTIANISSIME. Tanto huic, ac penè immenso, quo flagrabas, tuendæ, ac promovendæ Religionis studio, referre acceptam debes eam, quam in Terris adeptus es, felicitatem, beatissimamq; quâ frueris, atq; æternùm frueris in Cœlo: ubi Religiosissimum, ac verè Christianissimum Regem, MAXIMUM RELIGIONIS VINDICEM regnare confidimus.

Illud Tibi de Cœlo providendum superest, ut LUDOVICUS XV., Successor Tuus, Tuis vestigiis inhæreat, Tuas Virtutes referat, Tuis adolescat exemplis: Ut Magni Rectoris curæ respondeat: Ut Ejus etiam præclarissimas Dotes, Regiæ administrationis Prudentiam, Bellicæ Laudis præstantiam, omnium Artium scientiam, cæterasque Virtutes amplissimas sedulâ imitatione assequatur. Adeò ut, potiori, si fieri potest, jure, Ipse etiam LUDOVICUS XV. prædicari aliquando HEROS MAGNUS, REX MAGNUS, VINDEX MAGNUS RELIGIONIS verè Christianissimus possit. Dixi.

MA-

MARIÆ JO. BAPTISTÆ

SABAUDIÆ DUCISSÆ,

PEDEMONTIUM PRINCIPIS,

CYPRI REGINÆ, &c.

ORATIO FUNEBRIS

ITALICÈ, ET LATINÈ.





ORAZIONE FUNEBRE

NELL' ESEQUIE DI

MADAMA REALE

MARIA GIOVANNA BATISTA

Ducheſſa di Savoja, Principeſſa di Piemonte, Regina di Cipro, ec.

CELEBRATE NEL DUOMO DI TORINO li 23. Maggio 1724.

Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.

Nel Vangelo delle preſenti Eſequie, in S. Gio. al Cap. 11.



He vi aſpettate da me queſta mane, Uditori? Ch' Io ſia per condiſcendere al genio del mio, e del voſtro dolore, con deplorare la Morte di quella Gran Principeſſa, che ognuno bramava Immortale? Ch' io prenda ad eſagerare la perdita, che hanno fatta i Popoli di sì provida Madre, il Mondo di sì Grande Eroina? Dovrà un Miniſtro Evangelico abbandonare ſe ſteſſo, e i ſuoi Udi-

MARIÆ JOANNÆ BAPTISTÆ

Ducissæ Sabaudię, Pedemontium Principis, Cypri Reginæ &c.

ORATIO FUNEBRIS,

Habita in Taurinensi Metropolitano Templo die 23. Maji 1724.

LATINE REDDITA.

Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Jo. 11.



UID mihi in præsentia præstandum esse arbitramini, Auditores? An meo, vestroque dolori indulgendum, & prosequendam lacrymis Lectissimæ illius Principis mortem, cui Principi omnes adprecabamur immortalitatem? An ereptam subjectis Populis Matrem beneficentissimam, ademptam Orbi universo Heroinam eximiam exaggerare dicendo

Uditori ad un disperato inutil dolore, come farebbe un Gentile senza Speranza, e senza Fede, per favellar con 1. Tess. 4. 12. *l'Appostolo? Ben altro è il sentimento, che mi suggerisce il Vangelo, che udiste poc' anzi annunziarvi. Questo ci addita di congratularci più tosto, che condolerci della Morte de' Giusti: poichè sopravvivono alla lor Morte*: Qui credit in me, *dice Cristo*, etiamsi mortuus

PROPOSIZIONE. fuerit, vivet. *Dunque sopravvive alla sua Morte la Gran Principessa MADAMA REALE DI SAVOJA. Ne solo con quella Vita Beata, che la sua Fede, animata da tante Opere Sante, ci promette, che Ella vive in Cielo; Ma in oltre (udite verissimo insieme, e lietissimo Annunzio) Vive eziandio fra noi; e con tutte tre quelle Vite, che divisò l'Angelico Dottore S. Tommaso.*

In tre maniere, dic' Egli, può l'Uomo sopravvivere alla sua Morte. Primo, nelle memorie degli Uomini; Secondo, ne' Figliuoli; Terzo, nelle sue Opere: Uno modo in memoriis hominum; Alio modo in Filiis. Tertiò quantùm ad effectum suorum operum. *In tutti tre questi modi vive; e vi-* S. Tom. p. 3. q. 39. art. 2. in corp.

DIVISIONE. *verà in perpetuo la Real Principessa MARIA GIOVANNA BATISTA di SAVOJA.* Vivet *nelle memorie degli Uomini, in cui impresse un indelebile Idea delle sue ammirabili Doti*: Vivet *nel Re Figliuolo, e in tutta la Real Discendenza*: Vivet *nelle Opere Immortali di sua Cristiana Pietà. Vediamolo.*

VITTORIO AMEDEO Re di Sard.

fas est? Quid? Num indecoro, & nihil profuturo luctui habenas permittat Evangelicus Præco, ut ii solent, qui teste Apostolo *spem non habent*? Longè alia Evangelicæ veritatis vox est, quæ nuper auribus vestris insonuit. Ea nimirum gratulari potiùs, quàm dolere nos jubet in Justorum funere, quòd morti superstites vivant: *Qui credit in me*, ait Christus, *etiamsi mortuus fuerit, vivet*. VIVIT igitur, quam extinctam lugetis, Regia Parens, Funeri suo superstes; vivit: Nec eâ tantùm vitæ perennitate, quam Ipsius rectè factis apud Cœlites redditam non ex vano arbitramur: Verùm etiam [jucundissimum, verissimumque nuncium accipite] Vivit triplici quodam Vitæ genere, quod Angelici Doctoris acuta subtilitas certo discrimine designavit. 1. Thes. 4. 12. PROPOSITIO.

Præmortuum hominem trifariam adhuc vivere posse idem Angelicus author est: *Uno*, inquit, *modo in memoriis hominum; Alio modo in Filiis; Tertiò quantùm ad effectum suorum Operum*. Jam verò viventem adhuc, & spirantem quodammodo MARIAM JOANNAM BAPTISTAM habemus, ac porrò in omne ævum habebimus triplicis hujus Vitæ gloriâ, merito, felicitate. VIVET enimverò Illa, æternùmque VIVET *in memoriis hominum*, iisdem in perpetuùm impressâ Regalium Virtutum suarum imagine. VIVET IN REGE FILIO, atque in Augusta Posteritate Nepotum. VIVET in tot, tantisque CHRISTIANÆ PIETATIS OPERIBUS, quibus longævam ætatem D.Th. 3.p. q. 39. art. 2. in corp. DIVISIO. VICTORE AMEDEO Sardiniæ Rege.

 tem

PARTE I. MADAMA REALE Vive nella memoria degli Uomini,

L'AMOR della Vita, che inserì Natura nel Cuore degli Uomini, fa, che questi, poichè si veggono destinati a morire, cerchino le maniere di sopravvivere alla lor Morte. Quindi si ergono Statue, e s'incidono Marmi, a fine di tener sempre viva la rimembranza delle loro Persone, e delle lor Doti, e si prolungare nelle memorie degli Uomini quella Vita, che non possono perpetuare in se stessi: Uno modo in memoriis Hominum. Ma per sopravvivere nelle memorie degli Uomini, non ebbe mestieri di questi estrinseci monumenti la Real Principessa MARIA GIOVANNA BATISTA di Savoja, che per se medesima impresse in tutti coloro, a cui giunse la sua notizia (e a chi mai non giunse la fama di sì Grande Eroina?) in tutti Ella impresse un' indelebile Idea di sue Ammirabili Doti. E chi v'è, che non ammirasse in Lei, e non sia per ammirare mai sempre una somma Maestà ad una somma Amabilità mirabilmente congiunta?

in cui impresse l'Idea delle Reali sue Doti: Maestà, ed Amabilità.

Maestà. La Maestà è una Dote Principesca, che risulta dal Complesso di tutti que' pregi, e qualità, che sono nate a riscuotere la venerazione altrui. Sembra per tanto, non ben potere accordarsi con l'Amabilità;

Amabilità. la quale si è una Dote, dirò così, popolare, che risulta dal complesso di tutti que' pregi, e qualità, che sono nate a riscuotere l'altrui Amore. Quella innalza il Sovrano, e lo discerne da' Sudditi;

Que-

tem perenniter illuſtravit. Hæc totius laudationis ſumma, hic ſcopus.

VItæ amor, quem Natura hominum cordibus indidit, eam pariter ſollicitudinem, & curam infigit, ut quò certior mors eſt, eò ſtudioſiùs adumbratæ apud Poſteros immortalitati proſpiciant. Hinc paſſim erigunt ſimulacra, ſuiſque laudibus inſcribunt lapides; ut ſui, ſuarumque Virtutum memoriam in Poſterorum animis perpetuò excitent, & quod in ſe ipſis nequeunt, in hominum mentibus vitam protendant. Verùm ut ſuperſtes in hominum animis viveret, non pictis hiſce lapideiſque imaginibus indigebat Maria Jo. Bapt., quæ in eorum mentibus, ad quos ejus fama pervenerat [quò autem non pervenerat?] Ipſa per ſe ſe Regalium Virtutum ſuarum effigiem graphicè expreſsit. Ecquis enim in ea Principe non ſuſpexit, æternùmq; ſuſpiciet Majeſtati Amabilitatem, Amabilitati Majeſtatem miro quodam, inſuetoq; fœdere copulatas?

I Orationis Pars. Maria Jo. Baptiſta vivit in memoriis hominum, iiſdem impreſſa Regalium Virtutum ſuarum imagine: Majeſtatis, & Amabilitatis.

Regia Majestas cumulus quidam eſt, complexioque Virtutum, quæ ſpecie ipsâ, habituque venerationem, & obſequia Populorum non poſtulant modò, ſed extorquent. Quamobrem tanta illi intercedit cum Amabilitate ſimultas; ut coire invicem, & coaleſcere non poſſe credantur: quòd altera ex adverſo iis Virtutibus conſtat, quæ populares ſunt quodammodo, & blandæ amoris concilia-

Quid ſit Majeſtas. Quid amabilitas.

Differenza fra esse. *Questa il confonde, e l'accomuna con essi. Onde disse Colui, che non bene si convengono, nè dimorano in una medesima sede Maestà, ed Amore.*

Unione di amendue in *M. R.* *E pure, con quale ammirabile accoppiamento si uniron mai sempre nella Nostra Eroina, una Somma Maestà, ed una somma Amabilità? Con che bella armonìa seppe mai Ella accordare le Doti dell' Una, e dell' Altra, che sembrano sì discordi! In quella guisa, che la Musica compone i suoi Concerti col temperamento di voci alte e basse, gravi ed acute: Onde pare, che della Nostra Principessa favellasse il Re Teodorico, presso Cassiodoro:* L. 2. Ep. 40. Ut Virtutes, quas Universum melos habere potuisset, hæc admirabilis adjunctio contineret. *Ed è pur questo il suo più proprio, e più noto Carattere; onde al rammentarci MADAMA REALE di Savoja, tosto ci si presenta al pensiero Una Principessa del pari Maestosa, ed Amabile, che si conciliava tutto in un tempo la venerazione, e l'Amore di tutti.*

Maestà di *MADAMA REALE* Ereditaria. *Trasse Ella ereditaria la Maestà dalla sublimità del suo Lignaggio, che germogliato dalla Stirpe Reale di Savoja, e diramatosi con Eroica discendenza de' Duchi di Nemours, e di Aumala, con lo Sposalizio, ch'Ella contrasse con l'Altezza Reale di CARLO EMANUELE II., ritornò ad unirsi con nuovo Innesto alla primiera sua Stirpe: Di cui s' Io mi facessi a ridirne l'antichissima Nobiltà, e Grandezza, verrei più tosto a diminuirne la stima, che ad uguagliarne il concetto divolgatissimo per*

tutto

liatrices. Altera Principem attollit, & secernit à Populo; Altera deprimit, & confundit. Atque hinc pervulgatum illud Poetæ effatum: *Non bene conveniunt, nec in una Sede morantur Majestas, & Amor*. Utriusq; discrimen, Ovid.

At quanta emicuit in ea, quam laudamus, Principe Virtutis utriusque concordia? Quàm concinnè utriusque partes, & officia conjunxit, quæ cæteroquin abjuncta adeò, ac dissita videantur? Imaginem præbuit Artis Musicæ, quæ ita graviores, acutioresque modos temperat; ut dissonarum concentu vocum, gratissima auribus harmonicæ modulationis voluptas oriatur. Unde illud Theodorici penes Cassiodorum Principi nostræ mirificè convenit: *Ut Virtutes, quas Universum melos habere potuisset, hæc admirabilis adjunctio contineret*. Et sanè peculiare hoc Ipsi, ac proprium decus fuisse quis nesciat? Quoties Illam cogitamus, toties geminæ illæ Dotes occurrunt, quarum admirabili societate animos pariter ad venerationem flecteret, & raperet ad amorem.

Utriusque concordia in Mariâ Jo. Baptista.

l. 2. ep. 40.

Majestatem Illa Augusto Generi debet, quod è Sabaudâ Domo in Nemorosii, Aumaliæque Ducum stirpem generosâ propagine derivatum, connubiali fœdere cum Carolo Emanuele II. Sabaudiæ Duce, rediit ad originem suam: Cujus si vetustatem, splendorem, amplitudinem exornare dicendo velim; verear, ne pervagata ejus fama obscuretur potiùs, quàm illustretur. Inde in illam descendit, quod olim Xenophon appellabat, *Regium quiddam Naturâ*, ea nimirum

1. Mariæ Jo. Baptistæ *Majestas unde orta*.

tutto il Mondo. Da sì sublime Lignaggio in Lei si trasfuse quel, che Zenofonte chiamò: Regium quiddam naturâ: *Cioè tutto quel Maestoso, che partecipa la natura a Coloro, che fa nascer Grandi, e vuol che divengan più grandi. Poichè la Providenza la fece nascere Gran Principessa, e destinavala Madre di Gran Monarca, la provide di tutte quelle Doti, ch' Ella dovea in lui trasfonder col Sangue, e perfezionare con l'Educazione cioè: ELEVATEZZA di MENTE, GRANDEZZA d'ANIMO, FORTEZZA di CUORE, che sono le qualità, che compongono la vera Maestà, e Grandezza, la quale non consiste nella pompa de' Corteggi, nell' Eminenza de' Troni, e preziosità de' Diademi. Sono queste Insegne di Maestà esteriori, ed equivoche, che fanno Corte talvolta ad una Maestà anche falsa, e da scena. La vera Maestà si è la grandezza interiore di una Mente Elevata, di un Animo Regio, e di un Cuore Magnanimo, che si palesa con azioni Illustri, Grandi, ed Eroiche. E tutte tre queste Doti formarono la Maestà della Nostra Gran Principessa.*

Doti della vera Maestà

In M. R. 1. elevatezza di mente

Era la sua Mente un Cielo elevato, e vasto tempestato di bellissime Stelle, di Cognizioni folgoranti, e sublimi: Ond' Ella vedeva in chiaro lume, i più alti, e reconditi affari di Stato; e quegli eziandio che riguarda-

dava-

mirum Majestas, quam conferre iis solet Natura, quos Genere sublimes facit, ac Dignitate sublimiores efficere meditatur. Quando itaq; Supremi Numinis Providentia Mariam Joannam Baptistam ad eam Generis sublimitatem evexerat, ut Princeps nobilissima nasceretur; atque ad id honoris evehendam decreverat, ut Regis Maximi Parens esset: omnes in eam transtulit Dotes, quas unâ cum sanguine in Regiam Prolem traduceret, ac sapientissimâ institutione augeret, atque perficeret: Excelsæ nimirum Amplitudinem Mentis, Regalis Animi Magnitudinem, Invicti Pectoris Firmitatem: Quæ quidem Dotes veram, germanamque Majestatem efficiunt, quæ procul dubio, non in Aulæ pompâ, non in Solii sublimitate, nec in Diadematis fulgore sita est. Externa enim hæc sunt, & ambigua Majestatis insignia, quæ Scenicæ quandoque, ac personatæ Majestati famulantur. Veram ego Majestatem appello Excelsę Mentis, Regalis Animi, ac Generosæ Indolis Magnitudinem, quæ illustribus, grandibusque gestis pateat admirationi Populorum. Atqui Tribus hisce Regalibus plane Virtutibus emicat Principis nostræ Majestas. *Dotes veræ Majestatis.*

Amplissimæ sublimitas mentis quandam Cœli faciem, & fastigiatum Verticem attentiùs intuenti referebat, in quo perpetua animi lumina, quasi Siderum agmina coruscarent. Hinc penitiora Politi- *In Maria Jo. Baptista 1. Excelsæ mentis amplitudo.*

ces

davano tutti gli altri Principi dell' Europa. Quindi nel tempo delle passate Guerre, il Duca di Baviera, il Principe Eugenio di Savoja, i Generali d'Esercito l'udivano con gran piacere a discorrere di cose politiche, e de' disegni, e vantaggi di ciascun Principe: E ne ammiravano con diletto la perspicacia dell' Ingegno, la pulitezza della Lingua, la nettezza dell' Espressioni, la sublimità delle Massime, e soprattutto l'Elevatezza, e Vastità di sua Mente, capace di comprendere gli affari d'un Mondo. Ma bene spesso la celerità dell' Ingegno non bene si accorda con la maturità del Giudizio. Non così in MADAMA REALE, che alla vivacità, e prontezza delle sue cognizioni seppe unire la saviezza, e profondità de' suoi Consiglj. Quindi il suo Reale Consorte, scorgendo in Lei, nel fiore stesso degli anni già maturato il frutto di una senile Prudenza, la fece Depositaria de' suoi segreti: La volle sempre assistente a' Consiglj di Stato, per udirne li suoi accorti riflessi, e sensati pareri: Le commise il registrare di proprio pugno le lettere confidenziali, ch' Egli *scriveva. Ma il meriggio di sua Prudenza risplender si vide nella sua Reggenza, allorchè nella privazione del Regio Consorte, ascesa sopra del Soglio, al Governo di questi Stati, tutta consecrossi al bene de' Popoli, con assidua applicazione a' pubblici affari; privandosi eziandio de' suoi divertimenti, e piaceri, e sacrificando gli anni migliori di un'* Età *ancor verde, e vigorosa al Governo, ed alla felicità de' suoi Sudditi: Potendo à*

Perspicace, Capace, Prudente. Nella sua Reggenza,

Lei

ces arcana, quæ cæteros etiam Europæ Principes attingerent, dilucidè complectebatur, facundè evolvebat. Superioris proinde belli temporibus apud Bavarum, apud Eugenium Sabaudum; apud supremos Exercitus Duces, qui tunc forte aderant, admirationi erat, dum Eam de rebus maximis, deque cujusque Principis conditione, consiliis, & machinationibus differentem audirent. Suspiciebantque porrò Æqui rerum æstimatores, perspicax ingenium, cultissimam gallici Sermonis elegantiam, nitorem, ubertatem, sensus animi circumscripto verborum ambitu efficacissimè expressos; quodque caput est, selectissima quædam scientiæ Regnatricis Oracula, quibus Se Orbi regendo Parem ostendebat. Verùm persæpe contingit, ut quibus velox est, atque versatile ingenium, Prudentiæ gravitas, atque maturitas desit. Illi certò non defuit, quæ Ingenii celeritatem consiliorum pondere temperare consueverat. Cum eam proinde Regius Conjux in ipso juventutis flore, senilis ætatis fructus, præcoci Prudentiâ prævertentem videret; penitiora Ipsi arcana committere, eamque ad frequentes de rebus gravissimis consultationes accire, ac fidissimam velut Administram adhibere, ut secretiorum epistolarum summam describeret, atque in Commentarios referret. At si aliàs unquam, tunc planè Principis nostræ Providentia singularis emicuit, cùm Regio Conjuge extincto, Regimini admota, se totam felicitati

Perspicacia.

Capacitas.

Prudentia.

Regimini Populorum admota:

Lei mirabilmente addattarsi le parole di Seneca: Ex quo se Cæsar Orbi Terrarum dedicavit, sibi eripuit: & siderum more, quæ irrequieta semper suos cursus explicant, nunquam illi licuit, nec subsistere, nec quidquam suum facere.

In consol. ad Polyb. c. 76.

Salì Ella sul Trono in tempi scabrosi, e turbolenti, mentre ardeva ne' Confini dello Stato una Guerra fierissima tra le due Corone, di Francia, e di Spagna; ed Ella posta nel mezzo, seppe sì bene maneggiarsi con sì fina prudenza, e mirabil destrezza, che si mantenne mai sempre neutrale; e ciò ch' è più, sempre confidente, ed amica d'amendue le Parti, le quali, benchè fra loro discordi, si accordarono nonpertanto a venerare il merito di sì degna Principessa, stimando le di Lei offese peggiori di ogni lor perdita; e la di Lei Amicizia migliore di ogni acquisto; Quindi Ella in mezzo a' tumulti della Guerra, conservò i suoi Stati in tranquillissima Pace. Direste, ch' Ella si prefiggesse nell' animo, ed ottenesse nel fatto, ciò che dice Isaja: Sedebit Populus meus in pulchritudine Pacis, in Tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. *Bolliva d'ogni intorno un Mar tempestoso, e già sembrava, che à noi sovra-*

In mezzo alla Guerra

Mantenne la Tranquillità de' suoi Stati.

Isaia 32. 15.

citati populorum addixit, eique procurandæ, assiduis adeò curis intentam se præbuit; ut vel ipsis animi relaxationibus abstineret, ac vividæ etiamnum florentisque ætatis annos, perpetuâ rerum agendarum meditatione, volens, lubensque, subditis profutura consumeret. Illud sanè elogium promerita, quo Seneca Cæsarem prosequutus est: *Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit: & siderum more, quæ irrequieta semper suos cursus explicant, nunquam illi licuit, nec subsistere, nec quidquam suum facere.* *In consol. ad Polyb. cap. 76.*

Et Illa quidem difficillimo tempore Moderamen exorsa, dum in Regni finibus, atroci, pertinacique bello, hinc Gallus, Hispanus inde confligerent, eâ usa est dexteritate, ac solertiâ; ut non modò Neutri hostium esset obstricta, Neutri infensa: sed quod mireris, Utrique semper gratissima, strictioris amicitiæ vinculo sibi devinxerit adversantes invicem Hostes, qui cæterà licèt discordes, in admirationem Tantæ Principis conspirabant: Nunquam deteriore loco res suas fore arbitrati, quàm si infestam: nunquam meliore, quàm si benevolam Ipsam haberent. Hinc illud mirè, atque ad votum feliciter est assequuta; Ut inter acerrimos belli tumultus, quibus Exteri premebantur, pacatissimè viverent Sui. Ipsam dixisses, Insigne illud Jsaiæ vaticinium concepisse animo, re exhibuisse: *Sedebit Populus meus in pulchritudine pacis, in Tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

Circumsævienti Bello. *Ditionis suæ Tranquillitati prospexit.* *Isai. 32. 15.*

sovrastassero le sue Tempeste, e Naufragj. Ma stando Ella in piè, vigilante alla poppa, a regolare il Timone, e le vele, sedeva in Nave il suo Popolo, a vagheggiar la bellezza di una lietissima Pace: Sedebit Populus meus in pulchritudine Pacis. *Nel giugnere a questi confini quei minacciosi flutti di Guerra, sembrava, che riconoscessero il Nume della Maestà dominante; e rivolto in venerazione lo sdegno, baciavano, ossequiosi, i lidi del suo Dominio; e ritornavano indietro a portare altrove le loro tempeste, che mentre riempievano i Popoli circostanti di terrori, e di stragi; noi fra l'amenità de' nostri Campi abitavamo in Padiglioni di sicurezza, ricoperti col Manto della sua sì autorevole Protezione:* In tabernaculis fiduciæ. *Finalmente stando quelli in tumulto, e scompiglio, gemendo la moltiplicità degl' incomodi, che suol arrecare la Guerra; noi eravamo in riposo, e quiete, godendo l'abbondanza de' beni, che suole arrecare la Pace,* & in requie opulenta. *In tanto il bel genio della Regia sua Indole tutto rivolto a felicitare i suoi Popoli, godeva in ripetere:* Populus meus sedebit in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

2 Grandezza del suo animo Regio, intento al bene de' Popoli.

Poichè intenta la grandezza del suo Animo Regio a farci godere tutt' i beni di una Pace opulenta, in tutto il tempo della sua Reggenza provide mai sempre all' abbondanza de' Viveri: ed in quell' anno infelice, in cui la terra, ingrata alle fatiche, e sudori

della

Circumfremebat undique æstuosum Pelagus, suasque nobis immanes procellas, & jam voratura naufragia minabatur. At Ipsâ ad gubernaculum vigili, ac stante, rudentesque ac vela, quà erigi, quà demitti imperante, securus interim Populus *sedebat* in Navi, & *Pacis pulchritudine* lætabatur. Cùm Ditionis hujus fines attingerent minaces Belli fluctus; Tantæ Principis Majestatem reveriti, furore in obsequium verso, amico Littori blandiebantur, atque aliò clades, & naufragia importabant: Et dum affines Populi pavore, ac stragibus latè implerentur; Nos interea tecti Principis Nostræ Providentiâ, inter amœna Eridani culta, velut in *Tabernaculis fiduciæ*, tranquillissimè degebamus. Demum Regionibus aliis susdeque versis, bellicasque incusantibus calamitates; Nobis omnia Pacis-commoda affluebant ubertim, atque etiam redundabant. Ipsa interea, pro ingenitę Benignitatis indole, Populis suis pacem, felicitatemque gratulabatur, illud iterans lætabunda: *Sedebit Populus meus in pulchritudine Pacis, in Tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

Regali quippe Animo in id intenta, ut Pacis cumulatissimo fructu uteremur, eò præcipuè, dum Populos regeret, collimabat, ut Annonæ copia, atque ubertas afflueret: Eoque præsertim anno, quo tota Cisalpinâ Transalpinâque Ditione, Cultorum

Regalis Animi Magnitudo bono populorum intenta:

Annonæ Ubertati,

Provide all' abbondanza de' Viveri.

della sua coltura, nella Savoja, e nel Piemonte negò di produrre le biade pel necessario sostentamento de' Popoli, trovò la sua Gran Mente, e il suo Grand' Animo quelle maniere di sovvenimento, che insegnò ad Arcadio Imperadore il Vescovo S. Sinesio; In egestate laboranti Populo largitionem faciat, & publica munera remittat. *Scemò notabilmente i tributi soliti pagarsi da' sudditi, e rendè tributarie alla sua Providenza Nazioni straniere, facendo venire da lontani Paesi, a spese del Regio Erario, gran copia di grano; sollevò la sterilità de' nostri Campi con la feracità degli altrui; e quegl' influssi, che negò il Cielo per fecondare la terra, ci discesero dal Cielo della sua Mente: E però disse divinamente Sidonio, che chi fa nascere dalla sterilità l' abbondanza*, facit in terris opera Cœlorum; *Questa ci fe' germogliare d' improvviso già mature le biade, che non avevano seminati li nostri Agricoltori, ma il Principe; e dove le carestie non sogliono essere gravose al Sovrano, ma solo a' Poveri; questa non fu gravosa a' Poveri, ma solo al Sovrano. Del comune incomodo ne volle Ella sola patirne l' aggravio. Sebbene nol patì neppur' Ella, riputando sua maggior ricchezza la felicità de' suoi Popoli.*

Orat. de Reg.

Che se l' abbondanza suol essere nodrice dell' Ozio, che è il Padre de' vizj, veleno delle Anime; rovina delle Famiglie, Peste delle Repubbliche; provide il Regio suo Animo ad allontanar da' suoi Stati un sì gran male, con promovere le buone Arti, che sono le Nodrici

delle

rum spem avara, atque ingrata Tellus cluserat, unde Populis Caritate laborantibus prospiceret, opportunè, ac sapienter invenit: Illud Sinesii monitum ad Arcadium Cæsarem sequuta: *In egestate laboranti Populo largitionem faciat, & publica munera remittat.* Orat. de Rege. Subditis illico non exiguâ onerum parte solutis, exteras sibi Nationes vectigales esse jussit: Regii Ærarii opibus transmarinas messes accivit: Alienam ubertatem nostram fecit: Mentisque suæ munus esse voluit, quam Astra negaverant, fęcunditatem. Sapienter proinde Sidonius ajebat, eum in terris opera Cęlorum facere, cujus Imperio, ex inopi solo copia germinaret. Cœlestis hæc prope dixerim Providentia maturas illico segetes evocavit, quas non agricolarum labori, & curæ; sed industriæ, ac Providentiæ Principis deberemus: Atque ubi eiusmodi calamitas populares premere, non Principes solet: Hæc, quâ de agimus, oneri fuit Principi, Popularibus levamento. Commune discrimen ferre maluit Sola. Quamquam nec Sola, nec Ipsa tulit, quæ Opes suas ac felicitatem, Populi opibus ac felicitate metiebatur.

Quòd si rerum affluentiâ foveri otium solet, quod vitiorum Parens est, animorum pernicies, publicæ, privatæque rei labes, ac pestis; Id quoque ut à Regni finibus arceret, omni ope contendit: Bonis Artibus in subsidium advocatis, quibus virtus

Promosse le buone Arti: *delle Virtù, l'ornamento degli animi, il decoro delle Città, e lo splendore de' Regni; Istituì nella Regia* Le lettere; *sua Corte un' Accademia di belle lettere, assegnando grosse pensioni agli Accademici, ed ammettendogli a ragionare alla sua presenza nel suo stesso Reale Palagio. Gl' Imperadori Romani, per promovere, ed accreditare le scienze fondarono Cattedre di Eloquenza, con grossi stipendj a' Letterati, che chiamarono premj della voce;* Præmia vocis, *ed alle Cattedre stesse diedero il nome di* Troni; *ma non le onorarono mai d'introdurle nel loro Palagio, come fece la nostra Gran Principessa; che volle in certo modo dar loro per Cattedra lo stesso Reale suo Trono, volle farle partecipi della sua Maestà, e degli onori del Principato. Che incitamento agl' ingegni di consecrarsi allo studio di quelle scienze, che vedevano salite a sì alto grado di onore, ammesse a risplender in Corte, e poco meno, che a regnare sul Soglio?*

Le Arti Militari: *Rivolta a promovere nel tempo stesso le Arti Militari, diè compimento all' Accademia de' Cavalieri, eretta con mole sì augusta, e magnifica, che può chiamarsi una seconda Regia; Ove accolte le Arti Cavalleresche, esercitassero la Nobile Gioventù, e formassero nella Pace gli Achilli formidabili nella Guerra; ed oh come si vide ben tosto fiorire di scelta, e numerosa Nobiltà, anche estranea, mercè il Patrocinio, autorità, e favore di sì Gran Principessa! E per esercitare in amendue sì nobili Arti, Letteraria, e Militare la Gioventù*

alitur, exornantur animi, Urbes illustrantur, Regna splendescunt: Amæniorum literarum Academiam in ipsâ Regiâ instituit: Academicis larga stipendia erogavit: Se coram in Regiis ædibus eruditè differentes audire consuevit. Romanis olim Cæsaribus de scientiarum incremento sollicitis Eloquentiæ Cathedras constituere solemne fuit, pinguique censu Doctores conducere, eo honoris additamento; Ut Cathedras *Thronos*, censum ipsum, ac minerval *vocis*, sive Eloquentiæ, *præmium* appellarent. At quis unquam literas Regiâ excepit? Hanc sibi laudem adscripsit Princeps Sapientiæ amantissima, quæ in Aulam literas evocavit, iis Principatus decora impertita est, easque Solii Majestate donavit. Quibus stimulis tunc incitari se ingenia sensere, ad assequendum earum Facultatum culmen, quas eo in honore habitas admirabantur; Ut in Regiâ eminerent, ac penè in Solio dominarentur? *Bonis Artibus.* *Literis,*

Nec modò pacificas, sed bellicas etiam disciplinas complexa, Equestrem Academiam ab Regio Conjuge inchoatam ad exitum perduxit, mole augustam adeò atque magnificam; Ut alteram penè Regiam appellares, ubi nobiliores quælibet Artes florem Juventutis exercerent, inque Pacis sinu, bello formidandos Achilles instituerent, ac pararent. Qui tunc ad eam Palæstram Nobilium, etiam exterorum concursus, atque alacritas, sub tantæ Principis Patrocinio bellica rudimenta ponere gestientium! Utque etiam te- *Militaribus Artibus.*

tù ancor più tenera, somministrò un sontuoso Palagio, e provide alla fabbrica di un altro più ampio, e magnifico, ove nobili Giovanetti si addestraßero in tutte le liberali, e Cavalleresche Discipline, e ciò che più rilieva, si educassero nella Cristiana Pietà; onde ne uscissero qualificati soggetti, abili ad amministrare le Cariche, e sostenere le Dignità più eminenti, Civili, Militari, ed Ecclesiastiche. Ed Ella steßa tutti incitava ad una generosa emulazione negli studj; onorando sovente colla sua Reale Presenza le loro Accademie, e di propria mano distribuendo a' più meritevoli premj degni della sua Regia Munificenza. Le Arti stesse meccaniche promosse il Reale suo Genio, con esercitarle tutt' ora in tante opere della sua Magnificenza, monumenti immortali del Regio suo animo.

Le Meccaniche.

Maestà della sua Corte.

Di questo, più bello argomento era lo splendore della sua Corte, ben confacente alla Maestà di Sovrana, e Madre del Re. Per la sceltezza de' suoi Cavalieri, Dame, Ministri, e Domestici, ben potea far invidia a qualunque altra Corte di Europa. Ed è ciò, che ne dicevano tanti Principi, Generali, e Ministri stranieri: che avean vedute diverse Corti, e ne aveano trovate delle più numerose, ma niuna più scelta, più nobile, e più gentile di quella di MADAMA REALE.

Ma

nerioris ætatis Juvenes in utrâque laude adolescerent, amplas primò, ac magnificas Ædes largita est; mox amplioribus, ac magnificentioribus ex integro excitandis Regiâ curâ providit. Ubi rudes anni Sabaudæ, Subalpinæque Nobilitatis equestribus, ac liberalibus disciplinis excolerentur, quodque caput est, Christianæ semina Pietatis exciperent: Unde viros numeris omnibus absolutos, quos amplissimis muneribus admoverent, Sacra, Militaris, Politica Respublica, sortirentur. Idque operis tanto complexa studio est; Ut ipsa coram studiosos Adolescentes incenderet, Academicis ipsorum exercitationibus interesset, eosque qui primas in erudito certamine retulissent, exquisitis muneribus Regiâ manu donaret. Nec mechanicis Artibus Providentia Principis defuit, quarum laborem, atque industriam, maximis Regalis Magnificentiæ monumentis, quorum alia ex aliis nascebantur, continenter exercebat. *Et Mechanicis promovendis.*

Adde Illustrissimum Regalis illius animi, ac Magnificentiæ argumentum, videlicet Aulæ splendorem, qui tam excelsæ Dignitatis Principem, Regisque Matrem deceret. Eo nempe florebat Aulicorum delectu, atque Administrorum præstantiâ, cui vel Summi Europæ Principes inviderent. Hinc pervagata penes exteros Proceres, Exercituumque Duces, Legatosque Sententia, qui hoc sæpe disertis verbis professi sunt: Cæteras se quidem Europæ Principum Aulas propemodum omnes obiisse: majorem ali- *Aulæ Majestas.*

Ma sieno queste Doti proprie di una Gran Principessa, di una Maestosa Reina: l'Elevatezza della sua Mente vastissima, e la Grandezza del suo Animo Regio. La Fortezza del suo magnanimo Cuore, fu dote propria d'una Grande Eroina. Ebbe ella un cuore intrepido, e costante ne' più grandi pericoli, e traversìe, con cui la Providenza volle provare, esercitare, e manifestare al Mondo la sua Fortezza; giacchè Res secundæ felices, fortes adversæ probant. *Io non voglio funestare li vostri pensieri, o Signori, con richiamarvi alla memoria que' tempi calamitosi, in cui questi Stati erano luttuoso teatro di lunga, e fierissima guerra, assaliti da poderoso Esercito di Nemici, quasi da vasto, e impetuoso Torrente, che ora sommergendo una Piazza, ed ora un' altra, minacciava d'involgere nel comun naufragio tutta la Savoja, il Piemonte, e questa stessa Città dominante. Contuttociò ci giova rammentare la grandezza de' nostri pericoli, or che, mercè la gran mente, e il gran cuore di quel Sovrano, che ci partorì, e formò la grand' Eroina, ne siamo liberati con vantaggio, e con gloria. Dunque, qual' era in quei tempi il terrore, e la costernazione de' Popoli? Leggevansi espressi nel pallor d'ogni volto i caratteri della tristezza, del timore, dello spavento. Ma qual' era intanto il volto della nostra Eroina? Sentiva*

3. Fortezza del suo Cuore.

Plin. a Traj. Nelle cose avverse,

alicubi Aulicorum numerum, sed plùs elegantiæ, plùs decoris, nobilitatis, splendorisque, quàm in Sabaudæ Matris Regiâ, nullibi unquam vidisse.

Sed hactenus Principis mentem, Reginę animum vidimus. Majus aliquid superest. Heroidis indolem obiter excutiamus. HEROICA FIRMITAS animi, non modò supra Reginam, supra Fœminam est; Naturam supereminet, obliviscitur sexum. Enimvero quod pectoris robur illa præ se tulit, tot adversùs discrimina, & funestas vicissitudines sibi perpetuò succedentium calamitatum, quibus Supremi Numinis Providentia tantę Heroinę fortitudinem, atque constantiam exercendam, probandam, ac posteritati universæ commendandam decreverat. Scilicet *Res secundæ felices, fortes adversæ probant*. Horret animus meminisse, Auditores, acerbissimam illorum temporum calamitatem, cùm diuturno atrocique bello infessa Regio premebatur, hostilique Exercitu, Torrentis in morem, devastante omnia, atque Arces etiam munitissimas demoliente, Sabaudia, Pedemontium, atque hęc ipsa Augusta Civitas commune naufragium formidabant. Nunc verò, quòd maximi illius Regis beneficio ac fortitudine, quem MARIA JOANNA BAPTISTA Assertorem nobis ac Vindicem dedit, tot malis erepti gloriosè ac feliciter sumus, memorare juvat jucunda nunc, & placitura pericula. Quis ergo per ea tempora luctus omnium erat? Qui terror? Quę desperatio? Tristitiæ

3. Invicti Pectoris Firmitas.

Plin. Trai.

In rebus adversis.

va Ella nel cuore un' afflizione ben grande per l'amoroso compatimento delle pubbliche calamità. Ma mentre il suo grave affanno internamente nodriva, con imperiosa eroica fortezza premeva nel cuore la tema, e il dolore, e simulava nel volto speranza, e gioja, per confortar la tristezza, e rilevare il coraggio de' Popoli. Ciò fanno, al dire di Seneca, i Gran Capitani, che ne' sinistri avvenimenti di Guerra simulano a bello studio ilarità nel volto, e sotto apparenza d'allegrezza le cose avverse nascondono, per animare il coraggio de' lor Soldati. Quod Magni Duces faciunt rebus af-

l. de Consol. ad Polyb. c. 24.

fectis; Ut hilaritatem de industria simulent, & adversas res adumbratâ lætitiâ abscondant, ne militum animi collabantur. *Così la grande Eroina comparve sempre nel pubblico con volto allegro, ed intrepido, che ben dimostrava di essere, e tutti invitava ad essere anch' essi superiori all' avversa Fortuna. Ci parve allora di vedere nel suo sembiante un vivo ritratto di quell' Eroina del Testamento antico la Regina Ester, che nella confusione del suo Popolo, sgomentato, ed avvilito dalle minacce di Assuero, mentre tutti tremavano, e impallidivano:* Ipsa rosco colore Vultum

Esth. 15. 8.

perfusa, gratis, & nitentibus oculis tristem celabat animum.

Nella Rinunzia della Reggenza.

Ma prova ancor maggiore della Fortezza del suo magnanimo Cuore mi sembra la serenità imperturbabile, con cui rinunziò alla Reggenza degli Stati, che aveva per lo spazio di dieci anni sì gloriosamente amministrata.

ſtitiæ, angoris, metuſque gravillimi lugubres notas omnium vultus atque ora referebant. At quo tunc vultu? Quâ fronte Noſtra incedebat Heroina? Miſerata quidem publicam calamitatem, ſenſum doloris, eumque acerrimum fovebat animo. At dum corde torqueretur; mœſtitiam, timoremque premebat ſinu: Utque Populorum erigeret animos; ſpem vultu, hilaritatemque ſimulabat. *Quod*, inquit Seneca, *rebus affectis, magni Duces faciunt: Ut hilaritatem de induſtria ſimulent, & adverſas res adumbratâ lætitiâ abſcondant, ne militum animi collabantur.* Haud ſecus Illa, fortiſſimorum virorum æmulatrix, hilarem ſemper palam, impavidumque vultum objecit Fortunæ; quò Se adverſis rebus majorem oſtenderet, erigendoque Subditorum animo, Fortitudinis, atque Conſtantiæ imitandum præberet exemplar. Tum verò in Ejus ore nobis videbamur intueri ſpirantem quandam Imaginem antiquę illius, ſacrarumque Literarum teſtimonio celebratiſſimæ Heroinæ, quæ attonitis Popularibus ſuis, minaciſque Aſſueri terrore perculſis, *Roſeo colore vultum perfuſa, gratis & nitentibus oculis, triſtem celabat animum.*

l. de Conſol. ad Polyb. c. 24.

Eſth. 15. 8.

Verùm ſi unquam aliàs, tum maximè præcelſum Animi robur emicuit, cùm Se Ditionis Regimine, quod decenniùm ſapientiſſimè geſſerat, abdicavit. Ubi Regiam Prolem è pubertatis finibus egreſſam,

In Regimine abdicando.

jam

nistrata. Veggendo dalla pubertà entrato nell' adolescenza il suo Regio Figliuolo, in cui trasfuse aveva col sangue le Regie sue Doti, che essendo cresciute con gli anni, mercè l'educazione sì amorosa, ed accurata di sì Gran Madre, nel fiore stesso della sua adolescenza, il dimostravano abile, e maturo al governo; gli consegnò in mano lo Scettro con quella serenità di volto, e superiorità di spirito, con cui la prima volta impugnollo. Discese dal Soglio, come se vi salisse. Si spogliò della Sovranità, come di un abbigliamento, adattato bensì alla Maestà della Persona, ma distaccato dall' affetto del cuore. Dopo dieci anni di un Governo, sì acclamato da' Popoli, sì invidiato dagli Esteri, sì applaudito dal Mondo, nell' Età la più vigorosa di quarant' anni, depone totalmente ogni esercizio, e pensiero di pubblici affari: riducendosi ad una vita privata, non solamente con tranquillità, ma ancor con piacere; convertendo di buon grado il governo dello Stato, in quello della sua Corte, e della sua Casa; e passando con gioja dal regnar con tanto merito, e gloria sopra de' Popoli, a regnare con più merito, e gloria sopra se stessa. Chi può ammirare abbastanza l'eroica superiorità del suo spirito, Magnanimo Dominatore della Passione di dominare, che suol dominare sopra il cuor degli Eroi, ancor più Magnanimi? Non mai Ella si fece veder più Sovrana, che nel privarsi della Sovranità. E se nell' amministrare la Reggenza, Ella si mostrò Superiore al gran carico; nel rinunziarla, si mostrò Superiore

jam ætatis, virtutumque incremento, quas Ipsi egregiâ institutione inseverat, Imperio idoneam, ac vel in ipso Juventutis flore præmaturam sensit; eâ mentis atque oris tranquillitate, quâ Regnum susceperat, Regnum dimisit. Veluti Solium conscenderet; è Solio descendit. Dominatum, uti Paludamentum, deposuit, quod aptè quidem Majestati congrueret; animo verò nullatenus inhæreret. Publicis rebus per decennium administratis, eo successu, qui Populos admiratione suspenderat, benevolentiâ conciliaverat; quiExterorum invidiam, Orbisque plausus exciverat; vividâ adhuc, ac vegetâ ætate, speciosas Regni curas ab se penitus amovet ac non tranquilla modò, sed hilaris, à publico ad domesticum Regimen migrat: Et quæ paulò ante Populis adeò gloriosè imperaverat, privatis Se abdit penetralibus, Sibi gloriosiùs Imperatura. Quisnam excelsam magnanimi Cordis indolem demiretur satis, quæ dominandi libidini, vel ipsis Heroibus imperanti, adeò splendidè dominatur? Nunquam Se magis dominatricem ostendit, quàm cùm sese exuit Dominatu. Dum Populos regeret, Imperii culmine sublimior visa est; Altior se ipsâ, cùm abdicavit Imperium. Hinc factum est, ut ad commendationem eximiæ Fortitudinis conspirante abdicatione Regiminis, inde incrementum, splendoremque susceperit ea Majestas, quæ vel suo majorem se Principatu probavit. Atq; his splendidissimis

re a se stessa. Onde la privazione della sua Sovranità, servendo a commendazione dell' eroica Fortezza, e Superiorità del suo Cuore, servì ad aumento, e coronamento della sua Maestà, che si fece vedere Sovrana della sua stessa Sovranità. Questa sì grande ELEVATEZZA di mente vastissima, GRANDEZZA di Animo Regio, e FORTEZZA di Cuore Magnanimo, sono le Doti Principesche, le quali formavano in Lei quella Gran MAESTA', che per ridondanza dall' animo le traspirava nel volto, e riscuoteva la venerazione de' Popoli, la stima, e gli applausi di tutta l'Europa. Ma questa è una parte sola, e la minore della sua Grandezza. La Dote, che assai più incomparabilmente l' innalza, si è la più grande AMABILITA', che a sì Gran Maestà mirabilmente congiunse.

2. Amabilità di M. R. *Due sono le qualità, che costituiscono l'essenza, ed il pregio del Principato: La Sovranità, e la Bontà. La prima col sovrastare al Governo de' Sudditi, ne riscuote da essi la venerazione: la seconda col proccurare il bene de' Sudditi, ne riscuote da essi l' amore. La nostra Gran Principessa ugualmente adempiè l' una, e l'altra, finchè durò il suo governo: Ma nel suo cuore diè mai sempre la prelazione alla seconda sopra la prima: ed allorchè si spogliò della Sovranità, sola si ritenne la sua più cara, e diletta parte del Principato la Bontà, che la rendè mai sempre sì affabile, sì amante, e sì benefica: che sono le tre doti, dirò così, Popolari, che compongono la sua Amabilità, la quale in*

Tre Doti, che la compongono.

Lei

ſimis Dotibus; Regiiſque Virtutibus, EXCELSÆ nimirum MENTIS AMPLITUDINE, MAGNITUDINE REGALIS ANIMI, INVICTI PECTORIS FIRMITATE, ea coaluit MAJESTAS, cujus Index Aſpectus obſequentes ſibi Populos, Europam in plauſus effuſam intuebatur. At vix MARIAM JOANNAM BAPTISTAM hiſce coloribus adumbravimus. Præſtantiora ducenda ſunt lineamenta, quibus Illa ſplendidiùs innoteſcat. Prodeat itaque in lucem ſingularis illa AMABILITAS, quam Princeps Optima, miro quodam, ac perpetuo fœdere Majeſtati conjunxit, ejuſque gloriam ampliſsimam, gloriâ ampliore cumulavit.

Optimi Principatus gemina veluti Baſis eſt, Bonitas, & Poteſtas: quarum altera Populos Legibus temperans, venerationem Sibi vendicat, altera felicitati publicæ conſulens, Subditis amorem inſpirat. Utramque Illa coluit, dum regnaret, utramq; exercuit: At in ſecretiore cordis adyto, Imperioſæ Poteſtati eam ſemper prætulit, quam abdicato etiam Regno retinuit, indulgentiſſimam Bonitatem, ejuſque perpetuas Comites, atque AMABILITATIS effectrices, AFFABILITATEM, AMOREM, BENEFICENTIAM, tres ſcilicet Charites, quarum blandiſſimo lumine Majeſtatis nubila, vel diſcuſſit, vel ſerenavit. Quis eam, quam ſuſpeximus Majeſtatem Fa-

2. Mariæ Jo. Baptiſtæ *Amabilitas.*

Tres Dotes, quibus conſtat.

K ſtu,

Lei portò il vanto, sopra la sua stessa Maestà, benchè massima: AFFABILITA', AMORE, BENEFICENZA.

Marche della Maestà severa. *Chi crederebbe; che una Maestà di quel Carattere, che abbiam divisato, non si dovesse trarre dietro il consueto seguito, ed accompagnamento di Terrore, e di Fasto, per cui Filone chiamolla:* Tragicam Majestatem? *Questa è la famiglia, e il corteggio, che la Potenza suol dare al Principato, quando s'avviene in certi Spiriti meno elevati, che non hanno altra Grandezza, fuorchè quella, che ricevono in dono dalla Natura, dalla Fortuna, e dal medesimo Principato: Altura di sopraciglio; Pompa di passo; risparmio di parole, e di sguardi; imperiosità di tratti; severità di contegno; e disdegnoso rifiuto eziandio delle Riverenze, e degli Ossequj. Così appunto il Profeta Isaia ci dipinse le Figlie di Sion: forse per accennare, che tali maniere fossero più confacevoli, e connaturali al loro sesso:*

Isai. 3: 16. Ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant. *Non così la nostra Gran Principessa, che*

1. Affabilità di M. R. *avea un' Anima più sublime della sua Fortuna, e del suo Trono. Se la Dignità del suo Grado illustrò la sua Persona, molto più di Splendore aggiunse al suo Grado l'impareggiabile Superiorità del suo Spirito, ed Affabilità del suo tratto. Diceva anch' Ella, o potea dire col*

Salm. 129: 12. *Profeta Reale:* Non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me: Sed exalta-

vi

ſtu, ac terrore, conſuetis veluti ſtipatoribus circumſeptam fore non crederet. Unde ea fieret, quam Philo *Tragicam Majeſtatem* appellat? Hos aſseclas, hanc pompam ſibi comparat Principatus, ubi in ſerviles, humileſque animos incidat, qui Naturæ dumtaxat, ac Fortunæ bonis, vel ſolius Principatus faſtigio grandeſcunt: Sublime ſupercilium; Pompaticum inceſſum; videndi, alloquendique Superba faſtidia; in geſtu Imperium; in toto corporis habitu Severitatem; Vultum denique, vel ad ipſa obſequia indignabundum. Tales planè Sionis Filias Vates Divinus adumbrabat: Ut in ea veluti picturâ, ad infirmiorem ſexum pertinere hos mores dignoſceremus: *Ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.* Hæc Majeſtatis dehoneſtamenta neſcivit Princeps optima, Gradu ſuo, Fortunâ, ac Dignitate ſublimior. Hâc ſi eminuit; longè tamen Affabilitate, benignitate, atque humanitate eminèntior viſa eſt: planè ut Davidicis verbis plaudere ſibi, & gratulari poſſet: *Non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me, ſed exaltavi animam meam.* Itane verò? Num exaltatur anima, ubi Cor non exâltatur? Ita prorſus, ut interpretatur Zeno, nempe *Animæ ſublimitas eſt, ſuperiora viciſſe.* Magnitudine ſuâ animus intumeſcens, ſuâ ſe Magnitudine mi-

Severæ Majeſtatis Inſignia.

Iſai. c. 3. 16.

I. Mariæ Jo. Baptiſtæ *Affabilitas.*

Pſal. 129. 12.

S. Zeno Ser. in hunc locum.

vi animam meam. *Come ciò? Esaltò Ella l'Anima sua, perchè non fu esaltato il suo Cuore? Così è, dice S. Ze-*

S. Zenone nel Sermone su questo passo. *none:* Ostendit animæ esse sublimitatem superiora vicisse. *Un cuore, che si gonfia della sua grandezza, si confessa inferiore a quella grandezza, che lo rialza, e lo gonfia; E non è quella esaltazione, ma enfiagione. Che se in qualunque altissimo stato di fortuna il Cuore è sempre inalterabile, ed uguale a se stesso, allora dà chiaramente a vedere, che ha l'animo più alto di tutte le cose umane, e che si è sollevato ad un posto, ove la fortuna*

Sen. nell'Ep. 3. *non giunge:* In edito stat, Admirabilis, Celsus, Magnitudinis veræ. *Quindi nacque quell' ammirabile AF-*

Familiare. *FABILITA', dimestica insieme, e sostenuta, che nel medesimo tempo rapiva l'affetto, ed ispirava la riverenza. Sdegnava Ella come Grandezza immaginaria, e non sua, chi la stimasse Grande senza vederla, e conoscerla. Godeva di esporsi a qualunque occhio più perspicace, non temendo, che fra le sue grandezze scoprisse nulla di basso, sicura, come disse Plinio,* Magnitudinis suæ. *Sia ve-*

Lib. 25. *ro per altri, ciò che disse il Romano Istorico:* Continuus aspectus minùs verendos, Homines facit. *Si avverì in coloro, che vogliono comparire più grandi di*

Nella Vita di Agricola, e nel l. primo degli Annali. *quel che sono, il celebre Assioma di Tacito.* Omne ignotum pro Magnifico est: Majestati major ex longinquo reverentia. *La nostra Gran Principessa, che per quanto comparisse Grande, troppo era più Grande di quel-*

Indulgente. *lo, che compariva, quanto più da vicino si dava a conoscere, tanto compariva più grande:* Major adeunti,

come

norem fatetur. Nec sanitas illa mentis est, de se sapienter judicantis, sed ægritudo sibi miserrimè blandientis. Quòd si quolibet fortunæ loco animus sibi semper constet, tunc planè ostendit, se humana supergredi, seque malis omnibus inaccessum: *In edito stat, admirabilis, Celsus, Magnitudinis vera*. Sen. ep. 1. Hinc mira illa Optimæ Principis AFFABILITAS, nec verborum superbè parca, nec temerè liberalis, amoris simul, ac reverentiæ magnes, atque illicium. Gloriam Illa, famamque dedignabatur, quam veluti ex adyto ignota, & inaccessa captaret. Familiaris. Nullius aciem, vel acutissimam formidabat, *Secura*, ut ajebat Plinius, *Magnitudinis suæ*. In alios aptè quadret illud Romani Historici effatum: *Continuus aspectus minùs verendos homines facit*. Lib. 25. Qui Majestatem affectant, Tacitum audiant: *Omne ignotum pro magnifico est: Majestati major ex longinquo reverentia*. In vita Agr., & l. 1. Annal. Principis nostræ Majestas cominus videbatur excelsior, atque, ut cum Seneca loquar, *Major adeùnti*. Adeò Majestatem Affabilitate miscuerat; ut vel ipsa amaretur Majestas, Amabilitas coleretur. Norat Illa ab adeuntium animis terrorem, Potestatis comitem arcere: Indulgens; ac veluti Moyses, è Sinai regressus, obducto velamine, emicantes è vultu radios texit; Ita MARIA JOANNA BAPTISTA mirâ quadam suavitate, ac facilitate, subditorum obtutibus perviam faciebat Regnantibus insitam Majestatem. Hinc est, ut fulgur illud

come dice Seneca. Il suo Tratto Maestoso insieme, ed Affabile, tanto rendeva più Venerabile la sua Amabilità, e più amabile la Maestà. Sapeva Ella allontanare, da chiunque se le accostava, quel Terrore, che suole imprimere nell' animo delle Persone private la Sovranità, e il Comando. Come già Mosè uscito dal Sinai, ricoperse di un velo il suo Volto sfavillante; così Ella con l'amorevole ingombro di una impareggiabile Dolcezza, e benigna condescendenza, rattemperò lo splendore, che sfolgora dalla Maestà de' Regnanti, e abbaglia, e confonde la vista de' Sudditi. Quindi è, che quel lume, e quel lampeggiamento moderato, e raddolcito dal trasparente velo di sì gran gentilezza, e così adattato alla debole forza delle nostre pupille, ci rapiva a maraviglia, e c'invaghiva; Onde a Lei ben poteva applicarsi l' ingegnoso detto di Giliberto Abate. Dum sublucet, plùs placet. *E chi mai potrà spiegare la maniera, con cui sapeva unire Personaggi sì opposti? Sapeva essere insieme Principessa, e Cittadina; come il Poeta disse di Onorio:* Civem gereret terrore remoto: *Sapeva di Sovrana cangiarsi in un subito, come Trajano presso Plinio, e prender la faccia, le grazie, e i vezzi di Amica:* In amicum ex Imperatore: *In somma accomunarsi, e scendere al piano senza discender dal Soglio, e con l'affabilità stessa, rendere più venerabile, e in sommo amabile la Maestà?*

Nel Sesto Consolato di Onorio.

Plin. à Traj.

Ma questa Dote della sua Amabilità proveniva da un' altra più bella. L'Affabilità del suo Tratto nasceva dalla bontà del suo Cuore: procedeva dall' amore materno

2 Amore di M. R. verso de' sudditi.

lumenque Frontis excelsæ, miræ Humanitatis peplo retusum, ac temperatum, & quodammodo languescens, ut infirmo oculo ferri posset, singulari intuentes admiratione percelleret, amore raperet, atque irretiret. Quapropter ingeniosum illud Giliberti Abbatis pronunciatum de ipsa dictum putes: *Dum sublucet, plùs placet.* Ecquis artem explicet, quâ tam adversa, ac dissita componebat? Norat, Ipsa, Princeps perinde, ac Civis esse, ut de Honorio Vates cecinit: *Civem gereret, terrore remoto.* Norat, ut apud Plinium Trajanus, illicò mutare personam; migrare ad amicitiæ blanditias è culmine Dignitatis: *In amicum ex Imperatore.* Norat denique Se quodammodo æquare cum Subditis, quin è Solii fastigio descenderet: atque humanitate ipsâ venerabiliorem, ac summè amabilem reddere Majestatem.

In 6. Consul. Honorii.

Plin. in Paneg.

Nobiliore tamen è fonte Amabilitas ipsa promanabat. Indolem nempe sequebatur ad beneficia pronam, maternâque Benevolentiâ Populos com-

2. *Ejus Amor erga subditos.*

no, ch' Ella aveva a' suoi Popoli. Fu ben lungi dal genio di quei barbari tempi, in cui i Principi, non Principi, ma Tiranni, perdevano l'umanità, quando imprendevano il governo degli Uomini, e per essere stimati più che Uomini, divenivano fiere; Stimavano di pareggiarsi a' loro Sudditi col divenire oggetto del loro amore; Si credevano di uguagliarsi agli Dei, col divenire l'oggetto del comune terrore. Onde nulla più temevano, che l'essere amati; Nulla più amavano, che l'esser temuti: e mentre amatori solo di se stessi, odiavano i loro Sudditi, godevano di essere odiati da essi, purchè fossero temuti. Oderint, dum metuant.

All'incontro la nostra Gran Principessa niun riconoscimento da' Sudditi ebbe mai più gradito, che il loro amore; onde per riscuotere il loro, li prevenne col suo. Apprese dal genio stesso della sua Bontà, ciò che insegna Atistotile, che Bonus Princeps nihil difert à bono Patre. *Quindi Ella assai più godeva del nome di Madre, che di Sovrana. Ella stessa dichiarossi di voler essere la Madre de' Nobili, allorchè fe' aprire il già mentovato Collegio per la loro educazione nella Pietà, nelle Lettere, nelle Armi. E dimostrossi vera Madre non solo de' Nobili, ma di tutt' i suoi Sudditi, tutti trattando da figliuoli, ed amandoli con materno amore. Quindi l'Affabilità co' medesimi, la benignità, e soavità, con cui temperava ciò, che ha di grave, e di austero la Sovranità, ch'è la maniera di governo la più acconcia, e la più amata da' Sudditi; onde Jamblico scrivendo ad*

Agrip-

plectentem. Quantùm enim ab illorum Principum moribus abhorrebat, qui temporum immanitatem sequuti, Tyranni veriùs, quàm Principes, cùm primùm regendis hominibus admovebantur, dediscebant humanitatem: utque supra homines assurgerent, se ad ferarum conditionem dejiciebant: Rati se Principes non esse, si diligerentur; Deos esse, si timerentur. Nihil proinde formidabant magis, quàm amari; nihil optabant impensiùs, quàm timeri: Dumque sui tantùm amatores, subditos oderant, ipsorum odio, modò metuerentur, sævissimè delectabantur: *Oderint, dum metuant*.

At Princeps nostra nunquam magis de se meritos subditos sensit, quàm si diligeretur. Utque amorem vicissim redderent; amore Ipsa suo ultro prævenit. Bonum quippe Principem nihil à bono Parente differre (quod olim Aristoteles tradiderat) ab ipsâ Bonitatis suæ Indolæ didicerat. Hinc Matris magis, quàm Principis titulo delectabatur. Cùm instituendis Nobilibus, amplas, ut diximus, Ædes addixit, Se Matrem Nobilium fore professa est. Nec Nobiles tantùm, sed Populares omnes materno amore complexa, omnium Se Parentem esse luculenter ostendit. Inde adeuntibus Se comem exhibere, facilem, jucundam: & austeram, gravemque speciem Principatus, explicatâ fronte, ac suavi obtutu condire: Quæ quidem Ars regnandi est, subditorum animis blandè illabens,

atque

Agrippa, presso Stobeo: Si quid grave, austerumque est in Imperio, benignitate, & humanitate temperetur: quale genus Imperii in primis amant Subditi. *Quindi altresì quell' amoroso compatimento delle miserie altrui, e la brama, la prontezza, e il piacere di sovvenirle. Quindi finalmente quell' interna afflizione, ch' Ella sentiva nel suo cuore delle pubbliche calamità, e singolarmente nel corso delle passate Guerre. Avea ciascuno il suo proprio dolore: Era proprio di Lei il dolore di tutti, e potea dire anch' Ella con quella Matrona Trojana presso il Tragico*. Sua quemque tantùm, me omnium clades premit. Mihi cuncta pereunt: quisquis est, Hecubæ est miser. *Ma perchè non era possibile, ch' Ella recasse conforto a' pubblici mali, era Ella medesima senza conforto. Solo sembrava le recasse qualche sollievo, il vedersi ancor Ella a parte delle comuni sciagure, e non esente da quei disagi, da cui in tempo di Guerra suol rendere immuni i Principi la dovizia del Principato. Abbandonati ben due volte gli agi, ed i comodi della sua Corte, e del suo Palagio, intraprese viaggi penosi, e incomodi, sulla speranza, che dovessero ridondare a soda tranquillità dello Stato. E questo suo amore del pubblico Bene le facea parer leggiero ogni travaglio.*

Nel Serm. 44.

Effetto, e prova di questo suo amore verso de' Popoli si è l'Amore, con cui era scambievolmente riamata da essi. E quando è mai, ch' Ella uscisse, come spesso faceva, in pubblico con la comitiva della sua Corte, che non accorresse

Amore de' Popoli verso M. R.

atque indissolubilis benevolentiæ conciliatrix. Uti apud Stobæum Jamblicus admonebat: *Si quid grave, austerumque est in Imperio, benignitate, & humanitate temperetur, quale genus Imperii in primis amant subditi.* Inde in alienis infortuniis commiseratione amantissimâ commoveri, iisque sublevandis promptè, & alacriter præsto esse: Inde tandem, velut suas Ipsius, calamitates publicas ferre: Superiore præsertim bello, quo diuturna antea Pax dolorem ex præsenti malo intendebat. Inerat cuique suus dolor: Ipsa dolore omnium premebatur, Tragici Hecubam imitata sic lamentantem: *Sua quemque tantùm, me omnium clades premit. Mihi cuncta pereunt. Quisquis est, Hecubæ est miser.* Unum Illi, & immedicabile vulnus hærebat, quòd publicis malis mederi non posset. Quamobrem eo tantùm recreari videbatur, quòd infelicium temporum, bellorumque Torrente, Ipsa etiam raperetur, nec expers communium malorum esset, quibus opes Principatus, atque conditio, eximere Principes solent. Et quidem bis Aulâ, Aulæque commodis extorris, longa, atque difficilia itinera in spem publicæ tranquillitatis suscepit, atque hujusce publici boni studio, omnia quantumvis anxia, atque amara condiebat.

Serm. 44.

Tanti in populos amoris argumentum Amor ille viciſſim esto, quo à Populis diligebatur. Ecquando, Aulico, ut sæpe solebat, splendidoque comitatu prodibat in publicum, quin frequens Civium mul-

Amor Populorum erga Ipsam.

corresse numeroso il Popolo, a vedere con tutto il cuore sugli occhi la loro Augusta Madre, sembrando a tutti di vedere un' Iride di Felicità nella sua Fronte, ed esprimendo con acclamazioni festose i voti comuni, di sua salute, e lunga vita. All' incontro nella sua sì lunga infermità, allorchè si udiva, come più di una volta si udì, il suo grave pericolo; che tristezza, che pallore, che sospiri si udivan nel Popolo! Quante preghiere a Dio! quante Processioni a' sacri Tempj per la sua salute! E in fine, benchè il Cielo l'abbia sì lungamente conceduta a' nostri voti, e ce l'abbia ritolta in età sì avanzata di 80. anni; pure, qual' è stato il dolor comune della sua perdita, riputata da tutti tanto più degna di pianto, quant' Ella con la vita più lunga ci avea dati tanto maggiori attestati, non solo dell' amor suo, ma ancora della sua BENEFICENZA. *E che gran Panegirico non meriterebbe questa sola? Chi potrà abbastanza, non dico lodarla, ma pur anche spiegarla?*

1. Beneficenza di M. R. *Il bene, dice Aristotile, è diffusivo di se medesimo: Quindi il comunicarsi, che fa Iddio per genio di sua bontà a tante sue creature. Onde i Principi, che partecipano insieme, e rappresentano la Divina Bontà, debbono mostrar con gli effetti della loro Reale Beneficenza la grandezza della loro bontà. E però disse con sentimento da S. Padre Seneca il Tragico:* Hoc habent Reges magnificum, & ingens, quòd nulla rapiat dies, prodesse miseris. *Or con quanta forza d' inclinazione, e di genio, con quanta ampiezza, e liberalità di cuore, sovveniva a'*

miseri

multitudo, amantiſſimam ſpectatura Principem, protinus advolaret; ut in ea Fronte, Iridem ſuæ felicitatis nunciam videret; ut fauſta omnia, vitam, incolumitatemque lætis vocibus precaretur. Contra verò diuturno illo, gravique morbo, quo tandem extincta eſt, vix dum periculi gravitas, ut non ſemel accidit, manabat in Vulgus; Qui populi mœror! Qui luctus! Quæ ſolitudo! Quot fuſæ ad Deum preces! Quot ad ſacras Ædes ſupplicationes indictæ! Atque in ipſo deceſſu, licèt à Superis diu conceſſam, & octogenariâ ætate maturam, quo dolore, quo fletu proſequuti ſumus! Eò etiam deflendam magis, quòd diuturnioris vitæ ſpatiis, non amorem modò in Populos, ſed & Beneficentiam longiùs protendiſſet. Jam verò hæc vel una Virtus, quam ſibi Panegyrim vendicaret! Quæ vis? Qui color Eloquentiæ ſatis eſſe poſſit, ad eam, non laudibus, ut par eſſet, illuſtrandam, ſed vel leviter adumbrandam?

Larga, & fœcunda eſt Boni natura, ut Ariſtoteles author eſt; neque opes ſuas, aut recondit invidè, aut parcè diſpenſat, ſed effluit, ſed exuberat, & redundat, ſeque ipſum, fluminis in morem, longè, latèque diffundit. Hinc Dei Optimi Maximi in hanc rerum ab ipſo conditarum Univerſitatem, Bonitatis ſuæ tanta profuſio. Principes proinde Supremi Numinis Imagines, atque in Mundi regimine Adminiſtros, in id proclives ferri decet, ut Beneficentiâ potiſſimùm amplitudinem Dignitatis oſtentent: Tragici *2. Ejus Beneficentia*

miseri la materna, e Real Beneficenza di sì Gran Principessa! Appena udiva, o vedeva il bisogno di alcuno de' suoi domestici, eziandio della famiglia più bassa, che tosto lo soccorreva, con affetto più di Madre, che di Sovrana. Come facevali assistere infermi, provedendoli a sue spese, e di alimenti ancor più dilicati, e di rimedj ancor più preziosi! Con che liberalità da Sovrana provedeva alle loro indigenze, rendendo ad essi invidiabili le loro miserie, lucrose le perdite, e fortunate le disgrazie! Ma forse solo co' suoi? L'ampiezza della sua Reale Beneficenza abbracciò tutte le sorte di persone, sovveniva chiunque a Lei ricorresse, senza far differenza di condizioni, e di gradi, Principi, Cavalieri, Religiosi, e Cittadini. Anzi quante volte, se a caso giungeva alla sua notizia, o qualche necessità, o qualche disgrazia, preveniva i ricorsi, e le dimande, e per segreti canali tramandava le sue grazie così nascoste; che le persone beneficate non potessero indovinare la fonte, onde uscivano, fuorchè dalla loro pienezza, e abbondanza? In somma pareva, ch'Ella avesse addossate a se le necessità di ciascuno, e che recasse a sua propria felicità il rendere felici. Piovevano ben sovente i suoi benefizj sopra persone a lei sconosciute, e lontane, e poteva contrasegnarsi la sua Liberalità con la maravigliosa circostanza di aver rasciugate le lagrime de' miserabili senza vedere il loro volto; adattandosi a Lei le parole, che scrisse Sidonio ad un Santo Vescovo: Sæpè tersisti eorum lachrymas, quorum oculos non vidisti. *Ma*

verso de' suoi,

verso di tutti.

forse

gici monitum sequuti: *Hoc habent Reges magnificum, & ingens, quod nulla rapiat dies prodesse miseris*. Jam verò quo animi impetu! quàm effusâ manu Tantæ Principis Benevolentia indigentibus præsto erat? Domesticos omnes, vel è turba viliori, eo affectu prosequebatur; ut si quem deprehenderet, calamitate premi; Matri, quàm Dominæ, similior opitularetur. Ut decumbentibus opem curabat impendi, lautioribus etiam cibis, pharmacisque pretiosioribus, sumptu proprio suppeditari jussis! Quâ Munificentiâ eorum levabat inopiam! Ut jam in invidiam, lucrumque cederet, sub ea Principe, calamitosum esse. At suisne tantummodo adfuit Mariæ Joannæ Baptistæ Beneficentia? Non ea erat, quæ angustis adeò finibus coarctaretur. Quotquot ad Eam confugerent, nullo conditionis, Dignitatisque discrimine, Cives, Exteros, Nobiles, plebejosque complectebatur. Omnium Illa videbatur in se incommoda transtulisse; & quòd alios felices efficeret, suæ vertere felicitati. In peregrinos persæpe, ignotosque homines beneficia effundebat, ac præclarum illud jactare subinde poterat, Se, quin vultus videret, miserorum lachrymas detersisse, Sidonii Elogio digna: *Sæpe tersisti eorum lachrymas, quorum oculos non vidisti*. Num verò dum hæc ageret, infimos quosque de mendicorum grege posthabuit Principis nostræ mira liberalitas? Immo his præcipuè Matrem se se beneficentissimam præbuit, Eâ opum largitate;

erga suos, *erga omnes*,

Spezialmente verso de' poveri, *forse che dimenticò i poveri della più vil condizione? Anzi con questi singolarmente dimostrossi Madre Benefica. Basti il dire, che il computo delle Limosine fatte da Lei distribuire a' Poveri, ascese in pochi anni ad un Milione. Che più? Giunse a privarsi anche della sua Regia Villa, confinante al Valentino, Casa destinata al suo diporto, per farne d'essa l'Albergo de' Poveri. Negatemi, che non si portasse da Madre, e non li trattasse da Figliuoli: Mentre li volle partecipi di sue Regie delizie, con privarne se stessa. Ma il godimento, ch' Ella traeva dal bene de' suoi Poveri, era a Lei la maggiore delle sue delizie. Nè solo abbracciò con la sua Beneficenza tutte le sorte di persone, ma ancor tutto il Regno. Andate in giro* Si estese a tutta la Città. *per questa Augusta Città: Dov' è, che non vi si presenti qualche memoria, o ritratto della sua Reale Beneficenza? Sacri Tempj nobilitati con magnifici Altari, o abbelliti di preziose pitture, o arricchiti di doviziosi arredi: Ordini Religiosi stabiliti, o per ministrare agl' infermi, o per redimere gli Schiavi: Spedali istituiti, Palagi alzati, eretti Collegj, piantati Baluardi, e Pomerj. Scorrete tutto lo Stato.* A tutto lo Stato. *Evvi Città, o Castello, in cui non abbia lasciati monumenti di sua Reale Beneficenza? Quà un Cuor d'oro, guernito di preziosi Diamanti; Là un Raggio di alto prezzo, e di più fino lavoro: Quà diè libertà ad una moltitudine di prigionieri, pagando Ella stessa i loro debiti: Là vestì gran numero di Figlie povere: In più luoghi dotò molte Vergini pericolanti per collocarle in onesti Matrimonj, o per isposarle a Cristo in sacri Chiostri:*

te; ut subductis rationibus constiterit, paucis annis, inopum subsidio Decies centena millia impendisse. Quid plura? Valentinæ Villæ adjacens Regium Suburbanum, Delicias suas, excipiendis, atque in tuto collocandis pauperibus, piâ largitione dimisit. Quis jam Eam Parentem inopum neget, quos deliciarum suarum participes voluit: eisque carere Ipsa maluit, ut adoptati veluti Filii, Pauperes fruerentur? Satis jucundè vivere Se arbitrata, si Ipsi jucundissimè viverent. Nec modò omnes cujusque generis homines Beneficentia Principis excipiebat, sed toto quàm latè patet Regno pervagata est. Augustam hanc Urbem percurrite, Auditores. Ubi non monumenta occurrent amplissima Regiæ Largitatis? Templa intueri licebit splendidissimis Aris ornata, exquisitis instructa Tabulis, sacrâ suppellectile ad pompam penè dixerim, ac luxum ditata: Evocatos sacrorum hominum Cœtus, sive morientium solatio, sive Captivorum Redemptioni addictos: Contubernia pauperibus procurata, excitata Palatia, condita Collegia, Propugnacula instructa, dilatata Pomœria. Lustrate Ditionem universam. Quod Oppidum, quæ Civitas Regiam Munificentiam non eloquetur? Hìc Templis oblata pretiosa anathemata, auro, gemmisque collucentia intuebimini: Illic obœratos Homines, repræsentato lytro, libertati restitutos: alibi Puellas innumeras laceras, ac sordidatas, lauto amictu

præsertim erga pauperes,

Urbem,

ac totam Ditionem complexa:

stri: Da per tutto disperse copiose limosine per sostentare i Mendici: Ove fondò Priorati, ove Spedali agl' infermi, ove magnifici Alberghi per allettare, ed accoglier coloro, che volessero dall' eretiche Sette venire in grembo alla Cattolica Fede; provedendoli di sacri Operai, intenti alla conversione degli Eretici, ed allo stabilimento de' Convertiti. Ed ecco uscire anche fuori del Regno la sua Beneficenza, e distendersi a benefizio ancor degli estranei.

A tutt' i Tempi. *Ella finalmente abbracciò tutt' i tempi: in tanti Capitali fondati di perpetue rendite, o per servigio degl'Infermi, o per sollievo de' Poveri, o per suffragio ancor de' Defunti. E non è questa una Beneficenza più che Regia, che ha del Divino, e che a se rapisce l'amore, e il cuor di tutti? Ed ecco le tre belle Doti: AFFABILITA', AMORE, BENEFICENZA, che compongono l'AMABILITA' di MADAMA REALE, che dalla sua bell' Anima traspirava ancor essa per ridondanza nella beltà del suo volto, del pari maestoso, ed amabile;* Maestà, ed Amabilità del suo volto. *Onde con più ragione potea dirsi di Lei ciò, che di Tito Imperadore disse Svetonio:* Egregiâ formâ, & cui non minùs auctoritatis inesset, quàm gratiæ: *Onde chiunque miravala, sentiva rapirsi la Venerazione alla sua Maestà, l'affetto alla sua Amabilità, e l'ammirazione per l'accoppiamento di amendue.*

Que-

liberaliter convestitas: Periclitantes Virgines amplo censu dotatas; quo vel honesta sibi Matrimonia conciliarent, vel in sacra Asceteria, quemdam veluti Virginitatis suæ portum, reciperentur. Locum nullum invenias, quo non se se Tantæ Principis Beneficentia propagarit. Ubi ampla instituta Sacerdotia: ubi Nosocomia: ubi Hospitia excipiendis, invitandisque iis, qui hæreses ejurare, ac veritatem Catholicam amplecti vellent, sumptu maximo erecta; Sacris etiam hominibus pio Ministerio addictis, qui Heterodoxos ab errore revocarent, confirmarentque quotquot jam ab errore desciverant. Atque hic habes Regni limites egressam Principis Beneficentiam, & vel fortunandis Exteris consulentem. Nec verò temporum, sicut nec locorum spatiis circumscripta tam insignis Liberalitas fuit. Decumbentium quippe Inopum, ac vitâ functorum quoque, duraturo in Ævum subsidio, ingentem pecuniam collocavit. Quidni ergo Beneficentiam hanc non Regiam modò, sed ferme Divinam dixeris, uti omnibus proficuam, ita omnium sibi animos amoris vinculo devincientem. Tria hæc, Affabilitatem scilicet, Amorem, ac Beneficentiam complectebatur Principis nostræ Amabilitas, quæ ex ipso vultu emicabat, ad eam simul gravitatem, ac venustatem composito; ut Majestatis pariter, & Amoris Sedes appellari meritò posset. Quare aptiùs de Ipsa dictum putes, quod de Tito Svetonius: *Egregiâ formâ, & cui non*

Quin & omnia tempora.

Oris Majestas, & Amabilitas.

 minùs

Questa è l'Idea, che impresse indelebilmente delle sue ammirabili Doti nella memoria degli Uomini la Gran Principessa MARIA GIOVANNA BATISTA di SAVOJA: e quest' idea propagherassi ne' Posteri, a cui verrà proposta mai sempre per Esemplare delle Principesse, e de' Principi: E se periranno i Marmi, e le Statue, non perirà giammai la memoria di una Principessa sì Maestosa, e sì Amabile. Ond' Ella Vivet in memoriis hominum *una Vita gloriosissima, ed immortale.*

PARTE II. M. R. vive nel RE Figliuolo, e Discendenti.

MA pure non è questa la sola, ne la miglior Vita, con cui Ella sopravvive alla sua morte. Più bella, e più nobile Ella *vive, e viverà nel RE Figliuolo, e in tutta la Real Discendenza:* Vivet in filiis. Vivet *Ella in essi una doppia nobilissima Vita, VITA D'AMORE, e VITA di GLORIA.*

I. Vita d'Amore.

l. 8. de Trinit. cap. 12.

L'AMORE, dice S. Agostino, è una specie di vita, che unisce l'amante coll' amato: Quid est amor nisi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur. *Ma questa vita di amore per via di unione è comune a tutti gli amici; e però quanto maggiore, e miglior vita è quella dell' amore materno: Sendo che l'amor di Madre non è di semplice unione, ma è amore di unità, e di una quasi identità di persone. Poichè anche appresso a' Giuristi la*

Tiraq. de Jure Primogen.

Madre,

minùs Authoritatis inesset, quàm gratiæ. Hinc reverentiam Majestas, Amorem Amabilitas, admirationem Utriusque nexus, & concordia spectantibus ingerebant.

Hanc Sui Imaginem Princeps optima hominum mentibus nobiliùs impresit, quàm ut ullis eloquentiæ coloribus exprimi queat: ac vividior semper traducetur ad Posteros, Principibus Viris, ac Fœminis perenne Exemplar futura. Cenotaphia, Simulacra, & reliqua Sepulcrorum pompa peribit tandem. Nunquam interibit Tantæ Principis MAJESTAS, atque AMABILITAS, sed immortali gloriâ *in Memoriis Hominum* æternùm VIVET.

VERUM quantumvis hæc splendida sit, atque magnifica vivendi ratio; longè tamen splendidior, atque excelsior alia est, quâ Illa VIVIT, VIVETQUE in REGE FILIO, & in Regali serie Posterorum: & quidem gemino quodam Vitæ illustrioris genere, quam parit AMOR, & GLORIA. II. *ORATIONIS PARS. Vivit in REGE Filio, & Posteris.*

Quid est amor, Augustinus ajebat, *nisi quædam Vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur*? Vitam hanc amicis communem omnibus parit mutuus amicitiæ amor. At quantò præstantior vita est, quæ ex materno amore consurgit? quam non modò animorum concordia progignit, sed ejusdem etiam communio Naturæ? Recepto quippe apud Juris Interpretes dogmate, non duo, sed unum Filius, Parensque censentur. I. *Amoris Vitam.* l.8. de Trinit.c. 12. Tiraq. de jure Primog.

Madre, e il Figliuolo non sono due persone, ma una sola. Quindi è, che le Madri, dice Aristotile, amano i Figliuoli come una parte di se medesime, quasi ex se quiddam sint, *come cosa lor propria:* Proprium enim ei, à quo oritur quippiam; *siegue egli a dire,* est id, quod ex ipso oritur. *Onde gli amano con quel medesimo sommo amore, con cui amano se medesime:* filios, ut se ipsas amant, qui enim ex ipsis oriuntur, sunt quasi alteri ipsi, *siegue a parlare da suo pari quel Principe de' Filosofi. Molto più ardente è l'amore materno verso il Primogenito, perchè quello è il primo amore, e come il fiore dell' affetto materno, il primo, che entra ad occupare tutto il suo cuore, e a darle il dolce, e caro nome di Madre. E più ancora verso un Figliuolo Unigenito: imperciocchè la Madre, come bene osservò S. Basilio, ad ogni figliuolo, che da lei nasca, comunica, e divide come parte dell' anima sua, e del suo amore, e della sua cura, e providenza materna:* Per unumquemque nascentem animo scinditur, *ma se il Figliuolo sia unico, non si divide il cuore della Madre, tutta la forza dell' amore è unita, e raccolta in un solo. Questa fu la prima principal radice, onde germogliò nel bel Cuore di MADAMA REALE, l'amore al suo Regio Figliuolo. Ma molte altre cagioni concorsero a fomentarlo, ed accrescerlo. L'unione del medesimo sangue di Savoja: ond' Ella mirava il suo parto come oro eletto, tratto, e generato dalla medesima vena, senza mescolanza di sangue estraneo. In oltre la somiglianza, participazione, e ingrandimento delle sue ammirabili*

Doti

Nel lib. 8 dell' Etic. c. 12.

Ivi.

l. de vera virg.

1. Quanto Ella amasse il RE Figliuolo.

tur. Hinc Parentes filios diligunt, teste Aristotele, *quasi ex se quiddam sint: Proprium enim ei à quo oritur quippiam est id, quod ex ipso oritur*. Matres præsertim Filios, *ut se ipsas amant. Qui enim ex ipsis oriuntur, sunt quasi alteri ipsi.* At quanta in priores natu filios Charitas Matrum, quibus amoris primitias, delibatum videlicet amoris florem impendunt, eum nempe, quo Matres initiantur! Quanta verò in eam Prolem, quam Unicam sortitæ sunt! Quàm exquisitâ in eam benevolentiâ feruntur! Si enim Genitrix, ut inquit Basilius: *Per unumquemque nascentem animo scinditur;* Ubi unica Proles contingat, non Matris animum scindi, sed in unum cogi, in unum amoris vim, & Providentiæ curas intendi necesse est. Inde Parenti Regiæ in Regalem Filium, atque Alumnum tantus, tamque excellens amor. Verùm etsi præcipua ea fuerit origo amoris; is tamen aliis ex causis, multiplici veluti è fonte manavit. Occurrebat, ex uno Stipite derivatus in eundem Filium Sabaudi Sanguinis splendor: Unde Regiam Prolem, veluti ejusdem Fodinæ aurum, nullâ externæ stirpis admistione progenitam intuebatur. Occurrebat, quòd Dotes suas, quibus Ipsa admirabilis erat, admirabatur in Filio: Mentem Excelsam, Regalem Animum, Magnanimam Indolem, verbo dicam, Imaginem suam. Atque inde augebatur Parentis amor in Filium, quòd in Ipso Virtutes suas in dies augeri conspiceret. Gaudebat

l. 8. Æthic. c. 12.

ibid.

l. de vera Virg.

2. *Quàm immensè REGEM Filium diligeret.*

Doti: della sua Gran Mente, del suo Animo Regio, e del suo Magnanimo Cuore. Ond' Ella in Lui ravvisava una viva Immagine di se medesima; e le accresceva l'amore, l'accrescimento, che in Lui mirava, delle sue Regie Qualità, e godeva di essere da Lui superata nella beltà delle sue Doti, e amava l'Immagine più dell' Esemplare stesso, perchè lo eccedeva. Aggiugnete l'esserle stato consegnato dalla Providenza alla sua cura per l'immatura morte del Duca Padre, e l'aver Ella invigilato con sì grande attenzione all' educazione della sua fanciullezza, al governo de' suoi Stati, e della sua Persona, impiegando le sollecitudini più premurose per suo sostegno, e ingrandimento, le quali sono, come i dolori del parto, che rendono alla Madre più caro il pegno, per cui gli ha patiti. In oltre la lunghezza del convivere, del conoscersi, dell' amarsi scambievolmente, era un' incentivo reciproco a più amarsi.

Quanto fosse da Lui riamata.

Quindi in quest' ultimo, che era cresciuto al sommo l'amore di amendue, quali sollecitudini, e premure non abbiamo ammirate nel Re Figliuolo pel sollievo della Gran Madre nella sì lunga, e penosa infermità della medesima! che frequenza nel visitarla! che assiduità nell' assisterla: impiegando tutt' i ritagli di tempo, che potea recidere da' grandi affari del Regno, e rubando in fin anche il tempo dovuto al necessario sollievo da tante cure, per recarsi al letto della sua sì cara Madre, per consolarla con la sua sì amata presenza, per alleggerirle col suo amoroso compatimento le pene, per dividerle seco con farsi compagno, e partecipe delle medesime! Che dirò del recarle ajuto, e somministrarle

bat ab Illo vinci, & Imaginem impensiùs, quàm Exemplar ipsum diligebat: cum videret Exemplar ab Imagine superari. Ad hæc. Quemadmodum Puerperii dolor, fœtus suos, quòd Tanti steterint, chariores matribus facit; haud secus Augustæ Genitricis animum erga Regalem Filium vehementiùs incendebant impensæ eidem curæ, ac sollicitudines: tam accuratè instituta Pueritia: Susceptum, præmaturè erepto Patre, Ditionis Regimen: propulsata ab imbelli ætate, viduoque Regno Pericula: tot denique exantlati labores, ut ipsius incolumitati, & Gloriæ consuleret. Tandem ipsa convictus diuturnitas, consuetudo frequens, atque inde succrescens benevolentia, vividiorem in dies mutui utriusque amoris fomitem admovebant.

Hinc postremo hoc tempore, quo ultimam ardoris metam reciprocus amor attigerat, ut Regem Filium in diuturna, gravique Matris ægritudine anxium, atque sollicitum admirati sumus! Ut frequens invisebat! Ut sedulus aderat decumbenti! Ut succisivas horas, è Regni curis vacuas, ac necessariæ etiam relaxationi debitas, materno assiduus Thalamo traducebat, ut morbo oppressam, aspectu consolaretur, levaret alloquio, angoresque ægritudinis in se quodammodo, commiserantis animi affectu, transferret! Quid, quòd Ipse opem laboranti tulit: Utque Pietati faceret satis, suæ quodammodo Majestatis oblitus, Regiâ Ipse manu, ori cibum

Et ab Eo diligeretur.

nistrarle il cibo con le stesse Reali sue mani, dimenticandosi in certo modo della Dignità di Monarca, per soddisfare all'amor di Figliuolo, anzi tanto più dimostrandosi Gran Monarca, quanto più degno Figliuolo di Madre sì grande, e sì amante: meritando di essere più che mai acclamato con Plin. a Traj. *più ragione che Trajano*: Tantò major, tantò augustior: *E vicendevolmente con quali espressioni di stima, di gradimento, e d'affetto corrispondeva all'amor del Figliuolo quel della Madre! Qual fu finalmente l'eccessivo dolor d'amendue nella separazione estrema! Quale l'eroica Fortezza nel sacrificarsi amendue al voler dell'Altissimo! Ma v'è di più. Udite, o Signori, ancor più teneri, e gagliardi incentivi, che sempre più accrescevano nella Gran Madre l'amore a sì Gran Figliuolo: Ella il considerava come suo Figliuolo per più titoli: come Figliuolo non solamente del suo Sangue, e delle sue viscere, ma Figliuolo delle sue preghiere nelle gravi infermità della sua Puerizia: Figliuolo delle sue lagrime ne' suoi pericoli, nelle sue avversità, e nella già lunga espettazione della sua Real Discendenza. Quindi il ricorrere così fervido con orazioni incessanti all'Altissimo; quindi i Voti da Lei offerti, e poi divotamente adempiti di lunghi pellegrinaggi a' Santuarj: La fondazione sì splendida dell'annua* Festa *del* Patrocinio *di S. Giuseppe, appoggiando la perpetuità d'una delle maggiori* Famiglie *del Mondo ad uno de' maggiori Santi del Cielo. E con che felicità di successo? Ed ecco in fine ciò, che diè il compimento all'amore di sì gran Madre verso il RE suo* Figliuolo; *il vedere per mezzo di Lui diramato, e propagato*

Incentivi a Lei di più amarlo,

e di amare i Discendenti.

cibum admovit: Eò commendabilior, quò Tantæ Genitrici obsequentior: ac tum maximè Trajani Elogium promeritus: *Tantò major, tantò augustior*. Plin. Traj. Inde vicissim Mater Filio quæ Amoris reddebat officia! Quo grati animi sensu, impensas sibi curas, sollicitamque Pietatem, prosequebatur! Qui tandem utrique dolor, cùm Fati necessitas utrumque abjunxit! Quâ se ambo constantiâ Supremi Numinis arbitrio devoverunt! Quæ tamen hactenus diximus minora sunt. Vividiora accipite Tantæ Matris in Tantum Filium benevolentiæ argumenta. Se toties Matrem cogitabat, quoties Illum, vel è Pueritiæ morbis ereptum, vel inter bellica pericula, atque incommoda, non sine præsenti Numinis Providentiâ, incolumem, vel diu expectatâ Prole donatum, lachrymis, precibusque pepererat. Quoties enim in quolibet dulcissimi Pignoris discrimine, Deo procidit supplex! Quot pro Ipso vota suscepit! Quot ad sanctiores Basilicas peregrinationes obivit! An non ab Ipsâ quotannis Divo Josepho solemnis instituta Celebritas: ut qui inter Cælites præcipuus haberetur, præcipuam in Terris, ac splendidissimam Stirpem, optatissimâ Sobole fortunaret. Nec successu caruit, tam insignis Religio. Vidit pientissima Parens fructus uberrimos Pietatis suæ. Vidit non modò VICTORIUM AMEDEUM prole auctum multiplici, verùm etiam [quod unum deesse videbatur ad cumulum amoris] deri-

2. Amoris incrementa erga REGEM Filium,

& Posteros

vatam

gato il ſuo Sangue in tanti Nipoti, e Pronipoti: Ogni nuovo Rampollo, che germogliava dalla Reale ſua Stirpe, accreſceva in Lei l'amore verſo il RE ſuo Figliuolo, *Padre del nuovo Germe, e faceva in Lei naſcere un nuovo amore alla nuova Prole, in cui vedeva rinnovata la ſua viva Immagine, e raddoppiata.*

Le due Principeſſe Figliuole, *Luigia, e Adelaide.*

Quindi con quanto amore, e piacere Ella mirò i due primi Germoglj, che poi vide trapiantati in due vaſtiſſimi, e fioritiſſimi Regni: Le due Principeſſe LUIGIA, e ADELAIDE, che paſſarono a' Regj Sponſali col Re di Spagna, e Delfino di Francia. *Ella volle accompagnarle in perſona, benchè in età sì provetta con viaggi di più giornate. Con quali lagrime di tenerezza ſcambievole, ſi ſepararono bensì dagli occhi, ma ſeguendole ſempre mai con gli affetti, di cui n'erano ben degne: Se ciaſcuna di eſſe per le ſue amabiliſſime* Doti, *ſi conciliò in perpetuo l'amore, e la venerazione di tutto il Regno. Pari a queſt' amore fu il dolore, ch' Ella ſentì per vedere sì preſto ſeccati due Germoglj sì belli, e con morte immatura ritolte a noi dal Cielo le due Gran Principeſſe. Ma pure ebbe onde conſolare il ſuo àmore, veggendole ſopravvivere ne' due Rampolli, ch' Eſſe produſſero; ne' due* Figliuoli *a Lei Pronipoti; ch' Ella ſteſſa vide innalzati ſul Trono, l'Uno di* FRANCIA, *e l'Altro di* SPAGNA.

I due loro Figliuoli, Re di Francia, e di Spagna.

I Figliuoli del RE: *Vittorio Amedeo, e Carlo Emmanuele.*

Con amore, e piacere ancor più grande vide Ella naſcere il Primogenito del RE ſuo Figliuolo, VITTORIO AMEDEO: indi il Secondogenito CARLO EMMANUELE. E poichè vide reciſo il Primo ſul più bel fiore

degli

vatam in Nepotum, Pronepotumque seriem, Sabaudi Sanguinis Majestatem. Crescebat in Regem Filium amor, quoties è Regio Thalamo recens aliquod Germen erumperet: atque inde in novam Sobolem novo quodam repetitæ Imaginis, ac similitudinis titulo, redundabat.

Hinc ubi Regii Connubii primitias aspexit, binas nempe lectissimas Principes, Aloysiam, atque Adelaidem, quarum Altera Philippo Hispaniæ Regi, Altera Gallico Delphino splendidissimè nupsit; Quo amoris sensu affecta est? Quo gaudio delibuta? Uti ad Nuptias Utramque abeuntem, honoris, ac benevolentiæ causâ, plurium dierum itinere, jam Grandæva deduxit! Quibus lachrymis extremo in amplexu dimisit! Et quamquam ab oculis amotas, quibus studiis, & cordis affectibus prosequuta est! Quidni autem Eas impensè diligeret, quæ Regni utriusq; florentissimi Deliciæ postmodum, atque ornamenta exstitere? Quantùm verò Aloysia, atq; Adelaide immaturo fato ereptis indoluit! Ut amorem dolor æquavit! Quamquam habuit, unde dolorem leniret, dum Eas superstites intueretur in Filiis, quorum Alterum postmodum Galliæ, Alterum Hispaniæ Regnis amplissimis imperantem aspexit.

Principes Filias: Aloysiam, & Adelaidem.

Earum Filios Galliæ, & Hispaniæ Reges:

Sed longè uberiori voluptate perfusa est, cùm Regi Filio duo charissima Pignora, Victorium Amedeum, majorem natu, atque altero partu Carolum Emanuelem prodire vidit in lucem. Quo

Regis Filios Victorium Amedeum, & Carolum Emanuelem,

tunc

degli anni, e nel più bel verde delle grandi speranze, che fè nascere in noi; raccolse, e raddoppiò Ella il suo amore verso il Secondo. Ottimo, e Savissimo Principe, che ravvivavale non solamente col Nome, ma ancor con le Doti, il suo Diletto Sposo CARLO EMMANUELE di gloriosa memoria. Che grande incentivo a più amarlo fu mai, quel vederlo sempre sì attento ad osservare, e imitare li grandi esempj de' suoi Reali Genitori, e di Lei Medesima; Ond' Ella scorgea, che quanto più ora Egli risplende nell' ubbidire; tanto più a suo tempo risplenderà nel regnare: Che anzi Egli già incominciava a regnare sopra de' cuori, rapiti dalla sua amabilità, prematura saviezza, e indole Regia, dolce, e benefica. Ma allor giunse al colmo il suo amore verso di Lui, quando annodato all' amabilissima Principessa, che il Ciel ci ritolse, vide Ella nascer da Coppia sì bella un nuovo, un piccolo, ma vigoroso VITTORIO AMEDEO, che le presentò agli occhi un' immagine, ed un vivo ritratto del Grande, vide stabilirsi in Lui le speranze della perpetuità della Reale Discendenza, e della Felicità di questi Stati.

e'l piccolo *Vittorio Amedeo.*

Quanto immenso per tanto convien dire, che fosse l'amore, che inondava il suo bel Cuore, se essendo già sommo nel suo principio verso il RE suo Figliuolo, andò raddoppiandosi in tanti Nipoti, e Pronipoti, in cui raddoppiavansi le vive Immagini delle sue Doti! E se il raddoppiamento de' seguenti amori, ridondava in accrescimento del primo: E l'aumento di questo serviva a vie più aumentare i secondi! Or se così Grande fu il suo amore;

Che

tunc incremento amoris exarsit! Qui sanè geminos æquè dispertitus in Fratres, ubi Alterum mors immatura decerpsit, se se Alteri totum impendens, collectas in Superstitem vires effudit: Eòque ardentior, quòd Carolum Emanuelem dilectissimum olim Conjugem, non tantùm nomine, sed indole, ac virtute, revocaret in mentem; Quòd Patrem, Matremque, & Avorum imagines morum imitatione referret; Quòd imperare jam disceret, Parentibus obsequendo; Immo jam in animis Populorum, præcoci Prudentiâ, Religionis, Beneficentiæ, cæterarumq; Virtutum præmaturo apparatu regnaret. Quid dicam, quàm multò arctiùs dulcissimum Nepotem complexa sit? cùm adscitâ in Conjugem lectissimâ Principe (quam utinam diu servassent Superi!) Regalis Thalami fructum illico optatissimum vidit, Parvulum Victorem Amedeum, Magni Avi Imaginem vividam, spem Regni, atque in ævum duraturæ, cum Posteritate Regiâ, Publicæ Felicitatis. & Parvulum Victorem Amedeum.

Quo igitur æstuare debuit amoris incendio, quod jam in suâ origine, eò nempe quo Regem Filium diligebat, exuberans, tantâ Posterorum serie, in quibus expressam se se intuebatur, perenni veluti alimento augebatur, rursumque ad caput rediens, priores flammas ibidem intendebat, quibus vicissim in Posteros amor, novo in dies incremento, vehementiùs incendebatur! Quamobrem ex tanta amoris magnitudine

In tutti Ella vive moltiplicate vite di Amore.

Che gran Vita si è quella, con cui Ella sopravvive, e sopravviverà in perpetuo a se stessa? Poichè, se l'amore, come si è detto, è una specie di vita: viverà in perpetuo anche in Cielo l'amore della sua bell' Anima verso sì cari Pegni: E viverà in perpetuo quì in Terra l' amore di questi verso di Lei Medesima: Ond' Ella viverà in perpetuo vita sì bella. In oltre, se il primo effetto dell' amore si è il trasferire l'Amante nella persona amata, vive tutt' ora, benchè defunta, nella Persona del Primogenito, ed Unigenito, vive nel Real Principe suo Nipote, vive nel Real Bambino, Duca d'Agosta; vive ne' due Monarchi di Francia, e di Spagna, e viverà in perpetuo in tutte le loro Discendenze. Questa è quella catena d' oro, non interrotta giammai, con cui dice Temistio, che la Natura va tessendo, e congiungendo quei, che nascono, con quei, che muojono, per rendere immortali, e perpetue anche le persone defunte: Aurea illa, infractaque catena, quam Natura perpetuò intexens, & obeuntibus nascentia conjungens, ne in nihilum relabantur, sibi cavet. *Questo disse con più autorità, perchè per istinto dello Spirito Santo, il Savio nell'* Ecclesiastico: *Il Padre, che muore, e lascia sopravvivente un Figliuolo a se simile, può dirsi, che non sia morto;* Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus: reliquit enim similem sibi post se: *Dunque non è morta MADAMA REALE, che lasciò dopo di Se tante immagini vive a Se somiglianti, che si propagheranno in perpetuo, vive Ella in esse una vita perpetua; ne solo d'AMORE, ma ancora di GLORIA.*

Nell' Or. de render. affect.

Nell' Ecclesiast. cap. 30. 4.

E

tudine metire Superstitis Vitam. Si enim Amor, ut ex Augustino didicimus, quoddam est vitæ genus; Vivit Illa etiamnum vel invitâ morte, & geminâ fruitur vitâ, tum quâ Suos amat, tum quâ vicissim amatur à Suis: & cum perennis uterque amor futurus sit; utramque Illa vitam perenniter vivet. Adhæc. Si ea, & quidem præcipua Amoris vis est, ut eum qui diligit, in eum qui diligitur, transferat; totidem numerat animas, quot habet, habebitque Nepotes. Vivit itaque in Rege Filio, vivit in Nepote Subalpinorum Principe, vivit in Infantulo Augustæ Salesiorum Duce, vivit tandem in gemino Rege maximo, Gallo, atque Hispano, atque in sequuturâ post ipsos Nepotum Serie perennis vivet. Hæc nimirum est, de quâ ingeniosè, ac sapienter Themistius, *Aurea illa, infractaque catena, quam Natura perpetuò intexens, & obeuntibus nascentia conjungens, ne in nihilum relabantur sibi cavet*. Quod multò luculentiùs, & certiùs Divinæ Sapientiæ oraculo testatum habemus: *Mortuus est Pater ejus*, inquit Salomon, *& quasi non est mortuus: Reliquit enim similem sibi post se*. Quis ergo mortuam dixerit Matrem, quæ tot Sui Imagines in Regiâ Posteritate reliquit, perenni succedentium ordine propagandas? Immortalem profectò in Ipsis vitam sortita est: Nec Amoris tantùm, ut prædiximus; sed etiam Gloriæ, ut jam reliquo hoc capite complectemur.

Vitam Amoris multiplicem vivit in Filiis.

Or. de moder. affect.

Eccl. 30. 4.

 Ejus-

2. M. R. vive Vita di gloria ne' Figliuoli. E' *questa una vita, che scambievolmente si danno, e si rendono i Genitori a' lor* Figliuoli, *e questi a' lor Genitori.* Gloria Filiorum, *dice Salomone*, Patres eorum. *Ed i Figliuoli altresì sono il più bello, il più prezioso, e splendido diadema, che incoroni il capo de' lor Genitori*: Corona Senum Filii filiorum.

Proverb. 27. 6.

S'io avessi ardire di fissare a dirittura lo sguardo in quei lampi di gloria, che folgorando dalla Persona del Gran Figliuolo, vanno ad illustrare la sua Gran Madre; A Lui solo rivolgerei gli applausi festosi del Savio: Exultet, quæ genuit Te. *Si pregi d'essere stata Madre fecondissima con un solo Parto. Si vanti, d'avere in Esso ripartorita la serie immensa de' preceduti Eroi di tutta la Stirpe Reale, Si glorj, d'aver generato il Padre di una perpetua Reale Progenie*: Exultet... *Ma un rispettoso timore mi tronca le parole sulle labbra, e sforza il mio giubbilo a concentrarsi nel cuore. Chiuderò dunque gli occhi al Raggio, per aprirli solamente al Riverbero: e valendomi delle acclamazioni giulive, che fece alla valorosa Giuditta, insieme col Popolo trionfante, tutto l'ordine Sacerdotale di Gerosolima, a Lei sola rivolto, dirò*: Tu gloria Jerusalem, Tu letitia Israel, Tu honorificentia Populi nostri. *Imperocchè se Giuditta, solo perchè uccise un Nemico del Popolo d'Israele, si acquistò tanta Gloria, che per soprabbondanza ne ridondò al popolo tutto il Trionfo, e l'onore: argomentate, che maggior gloria sarà della nostra Giuditta, che non tolse un nemico, ma diede, ma conservò alla nostra Israele un Figliuolo, un Sovrano?*

1. Nel RE Figliuolo.

Proverb. 23. 25.

Judit. 15. 10.

E

Ejusmodi est Gloriæ Vita, quam Parentes impertiuntur Liberis, Liberique vicissim Parentibus reddunt. Hinc sapientissimè Salomon *Gloria Filiorum*, inquit, *Patres eorum*, ac vicissim: *Corona Senum filii filiorum*.

2. *Vivit Gloria Vitam in Filiis.*

Prov. 17. 6.

Si Gloriæ jubar immensum, quod à Filio redundat in Matrem irretortis oculis inspicere auderem, Regem ipsum unicè festis Salomonis plausibus appellarem, & gratulantium more clamarem: VICTOR AMEDEE, *Exultet, quæ genuit Te*. Se vel unico Partu fœcundissimam venditet Matrem. In Te uno prisca illa Sabaudorum Heroum exempla reviviscere glorietur. *Exultet*.... At verecundus timor voces abrumpit, & erumpere gestientem lætitiam contineri animo jubet. Hunc itaque Gloriæ splendorem, non emissum, sed repercussum; non unde oritur, sed unde resilit, attentiùs contemplabor, festisque usus vocibus, quibus Jerusalem universa victricem Judith excepit, Eam unicè compellabo: *Tu Gloria Jerusalem*, *Tu lætitia Israel*, *Tu honorificentia Populi nostri*. Quid? Triumphat Judith? Gratulatur Israel? Publicæ gratulationis argumentum est cædes Tyranni? Nonne potiori jure Judith hæc Nostra gloriabitur, quæ non hostem abstulit Regno, sed Filium, sed Principem dedit?

1. *In REGE Filio.*

Prov. 23. 25.

Judith. 15. 10.

Qualità ammirabili del Medesimo.

E qual Sovrano! Che fino da' primi albori della sua Adolescenza promise a' suoi Popoli maraviglie di Senno, e di Valore; ma poi Adulto, ne diede assai più di quel, che avea promesso Fanciullo. *E qual* Figliuolo! *Un' Immagine viva della sua Mente, del suo Animo, e del suo Cuore: Uno Spirito di sopraffina tempera, che sa collegare il Dolce col Forte, il Sottile col Sodo, il Destro col Risoluto; La Maturità nell' intraprendere, e la Prontezza nell' eseguire; La Sagacità in prevenire i pericoli, e l'Intrepidezza nell' affrontarli; Che non s' atterisce nell' Arduo, e non s' addormenta nel* Facile; *Che accoppia, ed unisce lontanissimi Estremi; Che abbraccia Cose Grandi, senza distogliere l'attenzion dalle Menome; Che in somma di Genio ugualmente Bellicoso, e Pacifico,*

Sue Grandi Imprese.

stabilisce il Governo con nuove Leggi, fa fiorire le Scienze con nuove Accademie, e addestra la Milizia con nuova Disciplina, nuove Macchine, nuove Difese. Ma dove mi perdo in un Mare, che non ha lido? Che ne dite, Signori? Non è gloriosa, e non sopravvive tutt' ora la Gloria d'una Madre, che ha prodotte al Mondo tante, e sì belle Virtù in un sol Parto? Ella non è già questa Gloria, sopra cui abbia giurisdizione il Tempo, abbia diritto la Morte. Consumi pure l'Età le Grandi, e Sontuose Memorie, ch' Ella erse vivendo, e morendo lasciò. Resterà Questa sempre indelebile, e negli Annali degli Storici, e negli Encomj *degli Oratori: e tutta la Posterità leggerà, ed ammirerà le subite, e impensate vicende, e l'intrecciatura, quasi fui per dire,*

incre-

Quem verò PRINCIPEM! Qui maxima de Se promiserat Puer, Adultus dedit majora. Quem Filium! Brevissimè dicam: Imaginem Mentis, Animi, Cordis sui. Indolem prorsus admirabilem, diversarum laudum concordi dissidio temperatam, atque conflatam! Cui mascula vis nihil adimit Suavitatis; nihil pariter ponderis arguta subtilitas; nihil dexteritas efficacitatis. Hinc quæ cunctatio? Quæ inde celeritas? Deliberat diu: exequitur statim. Pericula sagacissimè præcavet, fortissimè subit. Nihil Illi vel arduum adeò, ut refugiat timidè; vel adeò facilè, ut obeat oscitanter. Res disjunctissimas nectit simul, atque componit. Magna cogitantem, minima quæque non fugiunt. Bellicas, ac pacificas artes complexus animo, novas Leges condit; Novo excipit Athænæo, quæ bello deformatæ jacuerant, disciplinas; novis denique Institutis militares Copias informat, novo armorum genere milites instruit, novis munimentis, & machinationibus Arces.... Verùm quò rapior? Oceanum navigo. Littus non habet. Vos interim ecquid animo concipitis, Auditores? An non eam amplissimæ Gloriæ vitâ superstitem adhuc Parentem dicetis, quæ vel uno Partu, tot, tantasque Virtutes Mundo invexit, atque ad Populorum felicitatem effudit? In hanc enimvero gloriam nullum tempori, nullum morti jus est, potestas nulla. Reliqua sanè monumenta, quæ vivens condidit, moriens reliquit, ætati cedant ac tem-

Ejus Dotes.

Res Gestæ.

incredibile di contraposti avvenimenti, che a noi medesimi, che pur ne fummo testimonj di veduta, siccome poc' anzi ingannarono la nostra aspettazione, così anche oggidì ci rendono sospetta d'inganno la stessa evidenza de' Fatti. Questa, diranno i Secoli d'avvenire, Questa è quella Madre felice, cui la Providenza diè vita sì lunga; acciocchè vedesse a' suoi dì esaltato il suo Sangue a Trono ancor più Sublime di tutti li suoi Antenati; vedesse aggiungersi nuovi Titoli, Ingrandimento della sua Dignità. *ad accrescere il lustro alla Grandezza della sua Casa, nuovi Diademi Reali a cinger le Tempia de' suoi Successori; vedesse un Frutto delle sue Viscere, un Allievo delle sue Massime, che colto, e sorpreso all'improviso, e sprovveduto, e disarmato, intima la Guerra a Chi gliela minaccia; arresta con poche Truppe la Prepotenza de' Grandi Eserciti; resiste col Valore, e col Consiglio agl' insulti della* Fortuna; *termina Guerre infelici con Paci vantaggiose; perde Piazze, ed* Suoi acquisti, *acquista Province, acquista Regni. Tutto ciò diranno i nostri Posteri; e comproveranno col loro dire quel,* Gloria, che ne ridonda alla Madre. *che io vò pur dicendo: che sopravvive nel Figliuolo la Gloria della Madre; che ad eternar Tetide basta un Achille, e ad immortalare Olimpiade basta un Alessandro.*

Or

pori. Hanc certè gloriam, Historicorum fastis, Oratorumque laudibus consignatam, nulla delebit dies, nulla tenebris offundet oblivio. Leget, mirabiturq; tota, quàm latè patet, Posteritas novas, & inexpectatas rerum vicissitudines, atque incredibilem quandam fortunæ ludentis inconstantiam, prosperis, adversisque momento contextam, & implicatam, quæ nos ipsos hodiè, usque adeò suspensos, & ancipites tenet; ut sicut olim expectationem nostram, ita oculos quoque fefellisse, & quæ certissimè vidimus, fortasse non vidisse, suspicemur. Equidem audire jam videor voces Posteritatis: Hæc Illa, dicet, Hæc Illa Mater est, Matrum fortunatissima, quæ Providentiæ munere diu vixit, ut Sobolem suam, Regales Avos Dignitate supergressam, & augustiore Solio sedentem cerneret vivens; Sabaudos cerneret novâ titulorum, & Diadematum accessione cumulatos; Filium denique Regem videret, suo innutritum sinu, Sapientiæ, & Disciplinæ suæ Alumnum, qui subitâ licèt hostium irruptione circumventus, licèt ab armis, à militibus, ab amicis imparatissimus, tamen imperterritus stetit, immo bellum minitantibus, ultro bellum indixit; qui parvâ militum manu, magni Exercitus impetum fregit; insultantemq; fortunam consilio, & virtute delusit; Infelix bellum lucrosâ clausit pace; & Arcium, Urbiumq; jacturâ Provincias paravit, & Regna. Hic erit Posterorum sensus, hæc vox. Adeò Matris gloria perennat in Filio, Thetidis in Achille, Olympiadis in Alexandro. Huc

Aucta Dignitas,

& Ditio:

Gloria inde redundans in Matrem.

Aumento di essa: Per le Qualità della Regina Consorte, *Or aggiungete a questo splendore Domestico il luminoso Accrescimento, che recò Seco dalla Francia la Reale Nostra Sovrana, che con la Somiglianza delle Virtù, Armonia de' Sentimenti, ed Unione de' Cuori, concorre a rendere più Gloriosa, e Felice la Memoria della Gran Madre: Aggiugnete lo Splendore, che riverberano in amendue i Regj Consorti, e per Essi nella Grand'* e Gloria de' Discendenti. *Avola, i Due Re presenti di Francia, e di Spagna, Nipoti de' Primi, e Pronipoti della Seconda: In somma conchiuderò col Savio:* Corona Senum filii filiorum. *Questa è la Vita di Gloria, per cui Ella vive, e viverà nel RE FIGLIUOLO, e in tutta la Real Discendenza:* Vivet in filiis.

PARTE III. M. R. vive nelle Opere. *CON tutto ciò vaglia il vero, Signori, queste due maniere di Vita non hanno da se una perfetta immunità dalla morte, se non sono accompagnate ancor dalla terza, che sola dà loro il compimento, sola può esimerle dalla comune caducità, e renderle veramente immortali. E però l'Angelico Dottore serbolla all' ultimo luogo, come la sostanza, la quintessenza, il più scelto fiore della Vita, che non tramortisce mai, nè si scolora. Vivono, dic' egli,* Quantùm ad effectum suorum operum.

Osserva sottilmente Filone il misterioso linguaggio della sacra Scrittura, e quanto diversamente Ella favelli della morte degli empj, e della morte de' giusti. Scorrete i Libri di Mosè, e de' Profeti, e troverete in più luoghi, che dove si racconta, o s'intima, o si minaccia a' cattivi

La

Huc illud etiam incrementum accedat, quo Regia Conjux Splendore Sanguinis, Virtutum, Animique concordiâ, fortunando Victoris Amedei Regno, è Gallico solo in hanc Regiam connubiali jure translata, gloriam Excelsæ Genitricis longè efficit ampliorem. Accedat insignis gloriæ Splendor, quo Galliæ Hispaniæque Reges Maximi Victorem Amedeum, atque Annam, Avum, atque Aviam exornant, ac proinde Proaviæ decus ac famam celebrant, nomen illustrant. Rata igitur esto clausula Sapientis: *Corona senum filii filiorum*. Hæc ea Gloriæ vita est, quâ in REGE FILIO, quâ in tota Regiæ Stirpis Propagine, immortalitatem undequaque amplissimam consequetur. *Vivet in Filiis*.

Ejusdem augmentum ob Reginæ Dotes.

Et gloriam Posterorum.

FATEBOR tamen ingenuè, Auditores. Gemina hæc vitæ ratio à mortis jure prorsus immunis non est, nisi accedat altera, quæ culmen, vel basis est veræ, consumatæque immortalitatis. Quam proinde postremo loco ab Angelico Doctore commemoratam crediderim, veluti perennis vitæ apicem, floremque lectissimum, & nullo unquam tempore interiturum. *Tertiò* inquit, *quantùm ad effectum suorum operum*.

III. ORATIONIS PARS Vivit in Operibus.

Acutè, ac sapienter explicat Philo Divini Codicis involuta Mysteria, de justorum, atque improborum morte diversimodè penitus differentis. Moysis ac Prophetarum Libros percurrite. Quoties impiorum mortem vel narrant, vel denunciant, vel

mi-

la morte, sovente raddoppiasi quel funesto vocabolo: Morte morieris; Morte moriuntur. *Per lo contrario, dove s'accenna, o si descrive, o si definisce, il morire de' Giusti, non si dice, che muojono, ma si dice, che vivono. Perchè ciò? Dimanda Filone, e risponde al suo dubbio, e ce ne dichiara il mistero: per darci ad intendere, dic' egli, che de' cattivi è doppia la morte, e de' buoni è doppia la vita. Quelli, e morti, e vivi sono morti; questi, e vivi, e morti sono vivi; quelli, perchè non vivono la vita della virtù, anche vivendo, e invecchiando, sono morti; questi anche morendo, e separandosi dal corpo, non solo vivono, ma sono immortali, e godono una vita interminabile, e sempiterna:* Malos etiamsi ad extremum perveniant senium, esse mortuos, quòd virtuti non vivant; probos verò, etiamsi disjungantur à corpore, sortitos immortalitatem, in sempiternum vivere.

Nel lib. de Profug.

Or questa è quella Vita incorruttibile, e sovrumana, con cui a dispetto della morte sopravvive a Se Medesima quella Grand' Anima. Ella sopravvive senza dubbio nelle Opere eccelse, e negli atti segnalatissimi delle sue Virtù Principesche. Sopravvive nella Magnificenza de' suoi Edifizi, nella pompa de' suoi Arredi, nella splendidezza, ch' Ella sempre amò, e mantenne della sua Corte, nella sceltezza de' suoi Uffiziali, e Ministri, nella liberalità de' suoi preziosi Donativi, e copiose Limosine: Sopravvive nella Sublimità de' suoi Dettami, e delle sue Massime, nella Prudenza politica de' suoi maneggi, nel Governo economico della sua Famiglia, *nella Moderazione, e rettitudine della*

1. Delle sue Virtù Principesche.

sua

minantur; toties nervoſo, & vivido loquendi genere mortis congeminant vocem: *Morte morieris*; *Morte moriuntur*. Contra verò, ubi de Juſtorum morte ſermo eſt, non mori dicuntur, ſed vivere. Quę tanti diſcriminis ratio? Ideò, inquit Hæbreorum Sapientiſſimus, quia Improborum non una mors eſt, Proborum non una eſt vita. Illis morientibus pariter, ac viventibus gemina mors eſt: His viventibus pariter, ac morientibus gemina eſt vita. Illi virtutibus mortui, vel ſi Neſtoreos dies vivant, continenter intereunt: Iſti viventes Deo, vel ſi abſcedant à corpore, immortalitàte coronantur: *Malos, etiamſi ad extremum perveniant ſenium, eſſe mortuos, quòd virtuti non vivant: probos verò etiamſi disjungantur à corpore, ſortitos immortalitàtem, in ſempiternum vivere.* Philo lib. de Profug.

Atqui hæc illa eſt perennis Vita ſupra humanæ conditionis vices aſſurgens, quâ heroicus ille Spiritus, ſuo ſuperſtes funeri, mortem immortaliter vicit. Vivit Illa quidem in Regalium Virtutum excelſis Operibus, ſplendidiſque Monumentis. Vivit in ampliſſimis Ædibus, in Aulæ pompâ, delectuque Aulicorum, in effusâ tum erga Proceres, tum erga inopes largitate. Sublimis ille animi ſenſus; Illa ingenii acies explicatiſſima; Incredibilis rerum, tum privatim, tum publicè gerendarum ſolertia; Ordo ipſe, & modus, & compoſitio vitæ: Hæc omnia æterna ſunt, 1. Regalium virtutum.

ſua Vita. Queſto bell'accoppiamento di Virtù Morali, e Politiche, eſercitate da Lei per sì gran tempo, la ritoglie alla morte, e ce la rende viva, viva, Quantùm ad effectum ſuorum operum. Ma ſappiate, che queſta è la ſola corteccia, non è il midollo; queſto è il corpo ſolo, non è lo ſpirito della Virtù, per cui Ella vive. Riandate pur dunque tutto il lungo corſo degli anni ſuoi, e richiamate al penſiero i ſuoi fatti più illuſtri. Dite, ch'Ella nella ſua Reggenza

Epilogo delle medeſime.

accrebbe le Fortificazioni, e l'ampio Recinto di queſta Metropoli, interrotto dall'immatura morte del Suo Real Conſorte. Dite, che ſenza il menomo aggravio de' Popoli, con diſpendioſa, e ſollecita Providenza fece loro uſcir dal ſuo Erario una copioſa Ricolta negli anni più ſterili, e con un miracolo di Saviezza, e di Conſiglio fece lor godere un' alta Pace ne' tempi più torbidi. Eſaltate il ſontuoſo ingrandimento, ch'Ella fece al Moniſtero delle ſue dilette Carmelitane, e la vaga facciata della lor Chieſa, e gl' interni ornamenti, e le ricche Cappelle, e la dovizia degli Altari, e ſacri arredi. Non dimenticate il Grande Edifizio, ch'Ella alzò, per degno, ed agiato ricovero de' poveri nel loro Spedale, concorrendovi a promoverlo con gli autorevoli impulſi della ſua voce, e aſſai più coll' efficace eſempio della ſua Munificenza. Sovvengavi dell' auguſta, e ricca Proſpettiva, che aggiunſe all' entrata del ſuo Caſtello, e poſe in fronte della gran Piazza, e le Statue, e i Colonnati, e le Scale, e le ſuperbe Logge, e gli altri interni abbellimenti. In ſomma raccogliete in un faſcio, quanto delle ſue Reali, e virtuoſe operazioni ci preſentano gli occhi, ci ſuggeriſce la memo-

sunt, quibus Illa Naturæ, & temporis, transilit metas; ab exitu ipso vivendi sumit exordium; & quadam penè dixerim sui ipsius hæreditate, decedenti Sibi Ipsa succedit. Tot itaque moralium, politicarumque Virtutum mira complexio, quas diuturno usu comparavit; Ipsam eripit morti, viventemque etiamnum, spirantemque constituit: *Quantùm ad effectum suorum operum*. Atqui medullam nondum attigimus, Auditores. Sub hoc rudi Virtutis cortice latet anima, latet interius aliquod stabilis vitæ elementum, quo vegetatur. Quare age, quidquid Illa, dum viveret, gessit illustrius, brevi oculorum conjectu percurrite; Ambitum hujus Urbis amplificatum; Ad populorum alimoniam in summâ Annonæ Caritate derivata Subsidia; Pacem inter tumultus bellicos undique circumstrepentès, summâ Providentiâ, & consilio servatam. Adde, quæ in sacras Ædes, quà exornandas, quà ditandas; quæ in Pauperum Hospitia tum excitanda, tum alenda; quæ in Carmelitarum Virginum Asceterium, Templum, Sacella, Sacramque Supellectilem contulit. Adde Columnas, Signa, cæteraque tum extima, tum intima Prætorio suo adjecta ornamenta; Denique quidquid Regalium Virtutum, atque amplissimorum operum, oculis patet, memoria suggerit, celebrat fama. Cavete interim, ne vos externa species, excellens licèt, atque augusta decipiat, ple-

Forum Epilogus.

memoria, e divolga la fama. Ma non fermate lo sguardo nella loro superficie, vaga sì, e luminosa, ma che di sua natura può esser talora ingannevole, ed apparente. Ombre son queste, sono immagini semivive, anzi morti simulacri della Virtù, ove non traggano di più alto l'origine loro, e non sieno radicate, e fondate sulla vera, e soda base della Pietà Cristiana, che dà loro l'anima, il moto, il vigore, la vita. Quanti furono, dice S. Agostino, che cose grandi fecero al Mondo, e presso al Mondo ebbero titolo, e nome di Grandi? Multa magna fecerunt, qui magni in hoc

Conc. 12. in Psalm. 118. sæculo nominati sunt. *Ma perchè in esse ebbero gli occhi alla vanità, e non a Dio; ebbero la mira di procacciarsi gloria,* non apud Deum, sed apud homines: *vana, e non vera fu la loro Magnificenza; vane, e non vere le virtù, che praticarono, di Prudenza, di Fortezza, di Temperanza, e di Giustizia: Vani furono essi medesimi, e vana la gloria, che cercarono, e che seguirono:* Vani vanam.

2. Della sua Cristiana Pietà. *Inoltriamoci dunque più a dentro, a contemplare il bel fondo di quel Gran Cuore; e vedremo, com' Ella consecrasse colla PIETA' quelle medesime azioni magnifiche, e pompose, che sovente la vanità corrompe, e profana. Vedremo, come ogni suo fatto fosse contrassegnato, e dirò così, caratterizzato, coll' impronta, e suggello di Religione, di culto, e servizio di Dio. Onde parmi, che poteva anch' Essa dire col Profeta Reale: Distogliete, Signore, gli occhi miei, e chiudeteli al falso barlume della vanità, e della gloria:*

Salmo 118. Averte oculos meos, ne videant vanitatem: *Avvivate le opere mie, e fate, che tutte sieno vive, e non*

già

plerumque subdola, & fallax. Nempe hæc omnia, nisi Christianæ Pietati, unde vim omnem trahunt, solidè innitantur, nisi altiore è fonte originem ducant; umbræ sunt evanidæ, & fluxæ, languidæ imagines, quin potiùs intermortua penitus simulacra Virtutis. *Multa magna fecerunt*, Conc. 12.
inquit Augustinus, *qui magni in hoc sæculo nominati* in Pl. 118.
sunt. Sed quòd in iis vanitatem unicè spectarent, non Deum; quòd humanæ gloriæ avidiùs captandæ velificarentur; inani virtutum fuco decepti, inanem Magnificentiam, cæterasque animi Dotes inanes, & vacuas ostentavere, eam scilicet, quam anhelabant gloriam consequuti, *Vani vanam*.

Juvat igitur magnanimi illius Pectoris recessus intimos penitus inspicere, & attentiùs contemplari. 2.
Quâ voluptate videbimus, uti magna, & speciosa *Christianæ Pietatis*,
opera, quæ profana, plerumque vanitas inficit, & corrumpit, CHRISTIANÆ PIETATIS sensu quodammodo consecraret; ut nihil ageret, aut moliretur, quin Religionis, & Divini obsequii certa vestigia, & impressam veluti effigiem præ se ferret. Orabat, opinor, cum Psalte, ejusque vocibus Deum alloque- Psal. 118.
batur: *Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me*. Largire vitam, ajebat, Fons vitæ

già di quella vita caduca, e mortale, che viene per le vie obblique, e tenebrose del Mondo, ma di quella, che viene per le vie rette, vie splendide, vie vostre immutabili, durevoli, immortali: In via tua vivifica me.

Essenza della sua Pietà. *Or mentre vi parlo della sua PIETA' Cristiana, non crediate, che io parli di quella divozione dolce, e melata, divozione altrettanto oziosa, quanto è dilicata, che tutta si perde, e svapora in teneri affetti, e sterili desiderj, che assapora la virtù, ma non l'ama, la vagheggia da lontano, ma non se le accosta; che si trattiene in belli complimenti con Dio, ma non sa dare un passo per fargli piacere. Nò. Queste delizie femminili non si confanno a Donna sì forte. Parlo di quella sua attenzione di sguardi, e di pensieri a Dio solo, e di quella prontezza di cuore ad operare ogni cosa unicamente per lui, e per motivo di suo amore, e di sua gloria. I Cortigiani, dice il Savio ne' suoi Proverbj, hanno l'occhio sempre fisso nella faccia del Principe:* Requirunt faciem Principis. (Prov. 29. 26.) *Osservano essi con diligenza, e adocchiano ogni suo cenno:*

Diretta a Dio. *e come sia poco l'aspettar un' espresso comando; da' segni, e da' vestigj delle sue inclinazioni, delle sue voglie, si argomentano d'indovinarle, e di prevenirle. Rivolgonsi poi a lui solo, e in lui solo s'affissano, perchè da lui solo aspettano i favori, e le grazie. Finalmente per guadagnarsi anche colla simiglianza il suo affetto; s'ingegnano di conformarsi a lui, imitando i suoi costumi: e talora eziandio per eccesso d'adulazione copiano, e ritraggono in se stessi i suoi difetti. Tale per sentimento di Salomone è il costume*

tæ. Tu Principium, Tu Via, Tu Meta. Mortuum eſt, aut mortale quidquid aliunde oritur, quidquid aliò deflectit; quidquid aliâ graditur, quam non oſtenderis, Viâ.

PIETATEM idcirco hujus Principis Chriſtianam dixi, Auditores, maſculam nimirum, & ſinceram. Neque enim eam laudo adulterinæ Pietatis larvam, quæ melle, & ſeſamo paſcitur, quæ ſcilicet in teneros ſenſus, ac ſterilia tantummodo deſideria evaneſcit; virtutem deguſtat, non amat, intuetur eminus, cominus exhorreſcit; quin Deo etiam ipſi verba dare audet, animum, & obſequium recuſare. Languida hujuſmodi fęminarum blandimenta Mulierem hanc Fortem minimè decent. Totâ mentis acie, totoque animi impetu ferebatur in Deum: atque hæc erat ſumma votorum; ut amorem Illi ſuum in omnibus teſtaretur; ejuſque gloriæ ſummo conatu promovendæ Se Ipſam impenderet. En veræ, ſolidæq; Pietatis formam, quam in hac Principe, nec laudare deſinam, nec mirari. Aulicorum artes, moreſque paucis, ſed graphicè deſcribit Salomon: *Requirunt*, inquit, *faciem Principis*. Totus quippe, ut ita dicam, eorum Aulicismus in oculis eſt: tum ut ſtudia, & voluntates Principum ex ipſo oris geſtu, habituque veſtigent, ſilentia ipſa interpretentur, nutibus pareant, vocem, & imperium obſequii celeritate præcurrant: Tum ut ſpes ſuas, fortunaſq; omnes in Principe ſitas eſſe doceant, & beneficiis ſive

Quid illa ſit.

Prov. 29. 26.

In Deum directa.

 pro-

de' Cortigiani: Requirunt faciem Principis. *Ma Ella, che fu per dieci anni Principessa Regnante, e per sì lungo tempo fu corteggiata, ben sapeva per isperienza l'arte di corteggiare; Nulladimeno sdegnando le maniere mondane, servili, e basse, apprese dal Re Davide il modo di santificarla, e sublimarla, con fare la sua Corte al medesimo Dio*: Exquisivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram. *Quindi è, che presentavasi faccia a faccia al Divino cospetto, con volontà sommessa, e pronta non solamente all' intimazione de' precetti, ma col guardo fisso dell' anima ad intendere, e l'orecchio teso ad udire ogni alito, ogni soffio leggiero delle Divine chiamate. Quindi ne' suoi privati bisogni, e nelle nostre pubbliche calamità, diffidata degli umani soccorsi, e dimenticata de' consiglj, e maneggi politici, a lui solo appoggiava le sue speranze, a lui solo rivolgeva le sue preghiere, interponendovi il patrocinio di Nostra Signora, e di S. Giuseppe: Onde a ragione possiamo riconoscere dalla sua Pietà la conservazione del RE negli accidenti dell' Infermità, e ne' pericoli delle Guerre; le vantaggiose sue Paci, e Conquiste; ed il felice nascimento de' nostri Principi.*

Sua brama di piacergli.

Psal. 26.

Suo ricorso a Lui, e suoi effetti.

Finalmente da Lui, come da perfetto esemplare Ella ritrasse quelle virtuose inclinazioni, di cui ci lasciò segnalatissimi esempj: ma soprattutto da quella gelosa riserva,

promerendis, sive impetrandis opportunum tempus aucupentur: tum denique, ut eorum Virtutes, immo etiam vitia, ut plerumque fit, imitando, gratiam Principum adulatoria similitudine morum sibi concilient. Noverat has artes Magnanima Princeps, jam dudum aulicis obsequiis assueta. At servilem hunc morem dedignata, aulicæ vitæ speciem quandam, & imitationem sanctiùs ad Deum retulit, præeunte verba Sanctissimo Rege. *Exquisivit Te facies mea: Faciem tuam, Domine, requiram.* Hinc pervigili mentis oculo Deo præsens, non modò quæ apertè imperaret, sed quæ vel tenui intimæ vocis afflatu innueret, erecto, expeditoque animo exequebatur. Hinc humanis artibus, politicisque diffisa consiliis, si quid Sibi, aut Regno, aut Regi, vel optandum occurreret, vel timendum; Unum illum bonorum omnium Auctorem, depulsoremque malorum consulebat: imploratoque Deiparæ, & Sanctissimi ejus Sponsi Patrocinio, præsentissimam Divini Numinis opem sibi certò affuturam pollicebatur. Neque verò Spes Illam sua fefellit. Regis sospitas, felicitas Pacis, lætissima Principum Soboles, Gloriæ, & Regni incrementa, pleraque insuper collata divinitus beneficia Regiæ Matris precibus, communi populorum sensu accepta referuntur.

Studium Deo placendi:

Psal. 26.

Ad eum precibus confugiendi.

Sed longè altiùs eniti, & assurgere visa est, cùm Se ipsam ad Divinitatis exemplar effingere studuit, ejusque Naturæ pulchritudinem, quantùm mortali-

Disprezzo della propria gloria, per darla a Dio.

serva, che Dio fa della gloria a se solo, apprese quell' odio della vanità, e d'ogni lode, e gloria umana, e quel generoso rifiuto, di non volerne punto per se, e di tutta renderla a Lui. Di questo suo umile, e magnanimo sentimento potrei recarne autentiche prove: ma vaglia per saggio il gran dolore, ch' Ella sentì per avere intrapresa la fabbrica di quel nobile, ma dispendioso Frontispizio del suo Castello, allorchè vide salire la spesa più alto, che non credeva. Correvate voi a mirarla con maraviglia, e con piacere, come un nuovo, e raro ornamento della Città, come una perpetua, e gloriosa memoria della sua Magnificenza. Ella per lo contrario miravala con dispetto, come una mostruosa sconciatura della vanità, o almeno come un parto illegittimo d'un inganno, e d'un errore. Parevale di non trovare Dio in quell' Opera, e d'incontrarvi troppo se stessa: e però riuscivanle nojosi gli applausi, ed avrebbe gradite assai più le condoglienze. Ahimè, diceva Ella con gran sentimento, che tutto questo è tolto a Dio, tutto è tolto a' suoi poveri. *E non v'ebbe poco che fare a consolarla, e confortarla, a proseguire, e dar compimento all' Edifizio, rappresentandole, che la Providenza era l'Architetta di quel disegno, e che la Carità avea poste le mani in quel lavoro, per somministrare impiego, ed alimento a tanti poveri Artigiani, e Contadini. Ecco, Signori, la sopraffina essenza della sua Pietà, e fin dove giunse la purità delle sue intenzioni, che miravano dirittamente a Dio solo. Ma*

ne

bus fas est, usu virtutis imitari. Inde scilicet summum vanitatis odium hausit, humanæque gloriæ contemptum, cùm Fontem illum immensum bonitatis intellexit, cætera quidem omnia rebus à se conditis effusè largiri, sed in gloriæ consortium, quam sibi unicè servatam vellet, nullam prorsus admittere. Quo studio, quâ mente, quâ fide, nihil operum suorum tribueret sibi, laudem omnem, & gloriam Deo redditam vellet, ut cætera omittam, quæ possem afferre quamplurima, Testis sit dolor, quem ab augusta Ædium suarum molitione maximum cœpit, quòd ultra quàm animo destinaverat, opus, & sumptus excrescerent. Spectabatis avidè, Cives, novum Urbis, & Fori, & Regalis Prætorii ornamentum; elegantiam, magnificentiam laudabatis: Dum Illa interim, quod omnes mirabantur, sola despuebat. Aversabatur immanem illam substructionem, quasi monstrosum abortum, vel ambitionis, vel erroris, in quo pompa, & luxus undique occurreret oculis, nusquam Pietas, nusquam Deus. *O malè impensas opes!* (has sæpè querelas extorquebat dolor.) *Inanissimæ vanitati datum est, quod Deo, & Pauperibus debebatur.* Et sanè parum abfuit, quin perficiendi operis consilium prorsus abjiceret. Sed Aulicorum voce, & hortatu confirmata, abstersâque mœroris nube, tandem intellexit, eam sibi mentem Cœlitus inditam; ut infinitam artificum, rusticorumque multitudinem aleret; industriam civium acueret; iner-

Propriæ gloriæ contemptus, Divinæ studium.

 tiam,

ne conoſceremo ancor meglio il gran pregio, ſe daremo di corſo un' occhiata alle ſue Qualità più eccellenti, e viſtoſe.

3. Qualità della ſua Pietà: E *primieramente era la ſua Pietà Sincera, Soda, Leale, quale appunto confacevaſi all' ingenuità, e al candore del ſuo limpido Cuore, nemico dichiaratiſſimo dell' apparente, dell' affettato, del falſo. Ognuno ſa, che i Principi a guiſa di luminoſi Pianeti, eſpoſti alla viſta di tutto il Mondo, per quanti ingombri di nuvole abbian d' intorno, non poſſono lungamente ſtare naſcoſti, e che vi ſono degli occhi sì acuti, che ſcuoprono macchie anche nel Sole. Ognuno ſa, che quei miſterioſi animali dell' Apocaliſſe, che ſtanno di continuo intorno al Trono, pieni ſono di occhi, e avanti, e dietro, e dentro, e fuori*: In circuitu Sedis plena oculis ante, & retro... & intus plena ſunt oculis. *Dall' altro canto la finzione, e ſingolarmente della Virtù, al dir di Seneca, è un velo ſottile, e traſparente: per poco, che ſi miri, e s' eſamini, ci diſcuopre quel, che vuole coprire; e quel ch' è peggio, due deformità ci moſtra ad un tempo, e quella, che naſconde, e la menzogna, con cui la naſconde*: Tenue mendacium eſt: perlucet, ſi diligenter inſpexeris. *Or di tanti Prin-*

[Margin notes: Sincera, — Apoc. 4. 7. — Seneca.]

tiam, & otium ablegaret; Artes foveret: adeòque Ejus quoque Operis, ut cæterorum omnium, Numinis Providentiam Architectam esse, Opificem Charitatem. Hinc videtis, opinor, Auditores, quàm pura, quàm defæcata esset nostræ Principis Pietas, & quàm recto tramite, in Dei gloriam unicè collimaret. Nunc alias ejus Dotes, non minùs illustres, atque conspicuas, paucis accipite.

Et primò quidem; Solidam Illa PIETATEM, sinceram, omnisque fuci expertem penitus præ se ferebat, ingenui nempe, candidique animi fœtum, abhorrentis ab omni pompa, atque ostentatione Virtutis, & probitatis. Ea Principum, communi opinione, sensuque, Conditio est; ut Astrorum ad instar perenni luce micantium, omnium oculis propositi, utcumq; se tegant, diu latere non possint. Neque desunt oculi perspicaces, qui vel in Sole maculas deprehendant. Ad hæc. Quę in Divina Apocalypsi animalia pinguntur, Solio adstantia Majestatis, *plena oculis ante, & retro.. Et intus plena sunt oculis.* Huc adde, quòd si quidpiam, & præcipuè Virtutem simules; pellucidum ac tenue, Authore Senecâ, velum obducis, quod si attentiùs quis inspiciat, ac perscrutetur, aperit quod tegebat: quodque deterius est, geminum offert dedecus intuenti, vitium nempe in occulto latens, atque adscititiam formam, speciemque Virtutis. *Tenue*, inquit ille, *mendacium est: Perlucet, si diligenter inspexeris.* Recensete jam

1. *Ejus Pietas Qualis:*

Sincera;

Apoc. 4. 7.

Seneca.

Principi, Cavalieri, e Dame, testimonj oculatissimi della sua vita, chi mai osservò la menoma dissonanza, e contrarietà de' suoi andamenti, onde la sua Pietà smentisse se stessa? Anzi quel suo passo sempre uniforme, sempre uguale; quel tenore inalterabile d'opere pie continuato senza fallire giammai sino all' estrema vecchiezza: quell' ordine, e quella fissa misura di successive operazioni, e quel regolatissimo compartimento di giorni, ore, e momenti alle preghiere, e diversi esercizj di spirito, alla lettura de' santi Libri, all' udienze, alle faccende, al passeggio, e suoi moderati divertimenti; In somma tutte queste pratiche, e maniere di vivere, ch' Ella prescriveva a se medesima, come Legislatrice severa, e da Se medesima riscoteva, come rigorosa Esattrice, ci fanno conoscere assai chiaramente, che la sua Virtù era tutta verità, e sodezza, che non era varia, e cangiante, ne tessuta a liste di più colori, come le apparenti, e mascherate, ma d' una sola, e seguita orditura, e però soda, durevole, e fondata, come dice Sant' Ambrogio, su profonde radici; Quod verum, & sincerum, alta radice fundatur. *Ma per essere fedele, e costante, non bastava, che la sua Pietà fosse sincera. Nel cuore d'una Principessa sempre mai combattuta dall' interno conflitto degli affetti più veementi, e delle inchinazioni più vive della Natura, e dall' esterna impugnazione di accidenti sinistri della fortuna, era pur necessario, che la sua Pietà per non ondeggiare, per non crollare, per tenersi salda ad ogni prova, fosse ben radicata, fosse invitta,*

Stabile,

lib. 2. Offic. c. 22.

animo innumeram prope multitudinem Principum, Legatorum, Procerum Matronarum: addite etiam, si lubet, domesticam turbam Asseclarum, ac Stipatorum: quotquot vel officii, vel obsequii nomine Ejus lateri adhęsere, totidem Illa testes assiduos, immo Judices oculatissimos habuit. Ecquis unquam Ejus Pietatem, vel tantisper deviam deprehendit, nec satis sibi in tota vitæ actione constantem? Ea certè vitæ norma, par sibi semper, ac nunquam aberrans; perpetuus ille, atque immobilis sanctorum operum tenor, ad extremam usque senectutem firmâ, constantique lege perductus; exacta illa, ac minutatim concisa partitio temporis, cujus partem prece, piisque aliis exercitationibus, partem sacrorum librorum lectione transigebat, partem adeuntibus, vel rerum tractationi, modestæve relaxationi dabat; hæc, inquam, tota quanta est, quam Sibi indixerat, vitæ institutio, quamque à Se ipsa severiùs exigebat, eam virtutis indolem indicant, quæ non varia esset, lubrica, inconstans, atque multicolor, quod virtutis fucatæ vitium est, sed firmo, solidoque operum nexu, inconcussè stabilis, ac perseverans; tandem, ut Ambrosius ajebat, defixis altè radicibus nitens. *Quod enim verum, & sincerum altâ radice fundatur*. Utcumque tamen validis hisce suffulta firmamentis, nutasset procul dubio Constantia Principis, tot externis adversæ fortunæ assultibus, tot insuper intimis perturbationum tumultibus agitata; Nisi fortunâ,

Stabilis;

Lib.2.Offic. 22.

Dominante. *invitta, imperturbabile, dominante. Or a questo predominio, e padronanza sulle sue passioni, a questo assoluto imperio di Se medesima, che per sentimento di S. Isidoro Pelusiota è il più sovrano di tutti:* Imperii genus omnium maximum, *sollevolla la sua Pietà; e quel che è più mirabile, la sollevò umiliandola, rassegnandola con sommessione divota a' Divini voleri; la sollevò riducendola a stato di vittima volontaria col sacrifizio intero alla Maestà dell' Altissimo de' suoi beni, del suo sangue, della sua vita, e de' suoi affetti più teneri, e sviscerati. Richiamate, Signori, al pensiero, quel che abbiamo detto finora, e ravviserete senza dubbio da voi medesimi i tratti, e lineamenti d'una Pietà vittoriosa, e trionfatrice delle passioni, e dell' istessa natura. Ma l'ultimo atto della sua vita ben può da se solo darci l'Idea perfetta d'una Fortezza Cristiana, e di un' Anima generosa, e superiore a tutte le cose umane.*

Lib. 4. epist. 78.

Vittoriosa dell' affetto al suo Sangue.

Avea sulle ore estreme assistente al suo letto il REAL PRINCIPE suo diletto Nipote, la pupilla degli occhi suoi. La sua presenza era l'unico oggetto, che l'infermità del RE avea lasciato in quel giorno al suo amore materno, e l'unico sollievo de' suoi dolori. Con tutto ciò risoluta d'impiegare unicamente il suo cuore in ardentissimi affetti al Crocifisso, che avea nelle mani, volle rinunziargli quel resto d'umana consolazione; Lo benedisse, lo licenziò, per non rivederlo più in questo Mondo. Partito appena il Principe risentissi la natura al fiero colpo di separazione sì cruda; e fu tale l'ambascia, e l'afflizione, che tutta la for-

tunâ, & naturâ major, utriq; imperasset. Quamobrem ad hoc animi supremum imperium, sibi, suisque motibus moderantis, quod teste Pelusiotâ, omnium maximum, atque præcipuum censendum est, duce Pietate conscendit: quodque mirandum magis, ad eum gradum pervenit, humili, Deo obsequentis animi sensu, ipsique quæcumque haberet charissima, nullo discrimine devoventis. Redeant jam, Auditores, in mentem, quæ hactenus audistis: pronumque erit assequi victricis illius Pietatis indolem, deque omnium impetu affectuum, ac ipsâ etiam naturâ magnificè triumphantis. Verùm, vel si cætera desint, omnium instar esto, quod in ipso vitæ exitu edidit, Christianæ Fortitudinis exemplum, animique, humana omnia, miro quodam imperandi genere superantis. *Dominatrix.* Lib.4. epist. 78.

Aderat jam ferme Depositæ REGIUS PRINCEPS, ac Nepos, quem habebat oculis chariorem, & Regis Filii incommoda per eos dies valetudo unicum Illi reliquerat, materni amoris pabulum, doloris levamentum. Et illa quidem se Ejus conspectu mirificè recreari sentiebat. Verùm cum in eo rerum statu, omnes animi affectus in Christum è Cruce pendentem, quem manu gestabat, unicè referre percuperet; quod unum humani solatii sibi supererat, eidem ex integro sacrare, atque offerre constituit. Ergo Principi bene precata, Ipsum non ampliùs visu- *Victrix amoris erga Suos.*

ra,

za del ſuo coraggio non baſtò ad impedire, che non trapelaſſe, e nella turbazione del volto, e nell' affanno de' ſuoi ſoſpiri. Se n'avvide il Direttore del ſuo Spirito, ch' era preſente, e ne indovinò la cagione: Onde moſſo a compaſſione di Lei, la conſigliò di richiamare il Principe a conſolarla. O queſto nò, *ripigliò Ella ſubito con magnanima riſoluzione:* Quando gli diedi congedo, lo ſagrificai al mio Redentor Crocifiſſo; Non ſia mai vero, ch' io ritratti il ſacrificio, che hò fatto. Molto ne ſoffre il mio cuore, ma ſoffra; e ceda la natura alla ragione, alla Fede; e la tenerezza umana alla fedeltà, ed all' amore, ch' io debbo al mio Dio. *Che ne dite, Signori? Voi ſenza dubbio ammirate l' imperioſa Sovranità di quell' eroico Spirito, che comunque illanguidito da sì lunga infermità, e poco meno che agonizzante, tuttavia ebbe vigore di far reſiſtenza, e riportare vittoria di due poſſenti nemici, il ſuo Amore, e il ſuo Dolore. Erano congiurati queſti due Affetti a combattere la ſua Coſtanza a favore della ſua Natura. L'Amore pretendeva giuſtizia, ed allegava le ragioni del ſangue: Il Dolore chiedeva compaſſione, e querelavaſi del rigore, e del torto. Amendue d'accordo aveano comune la cauſa, comuni le armi, e le forze. Accuſava l'Amore il congedo del Principe, eſagerando le pene del dolore; Perſuadeva il Dolore il ritorno di Lui, impiegandovi tutti i vezzi, e le luſinghe dell' Amore. Poſto in mezzo di queſti due aſſalti il Cuore intrepido della Cri-*

ra, ab ſe dimiſit. Vix dum Princeps abſceſſerat, cùm ſeveritatem ſpontanei vulneris ſenſit, ingemuitque Natura: tantaque fuit doloris vis, atque acerbitas; ut vel invitâ reluctantis animi conſtantiâ, in vultu eruperit, emiſſiſque continenter ſuſpiriis prodiderit ſe ſe. Rem ſubodoratus, qui aderat, Conſcientiæ Moderator, ac Morientis commiſeratione tactus, Author Ipſi fuit, ut ad ſe Principem rurſus acciret. At Illa, animo ſupra omnem humanitatis ſenſum erecto: *Minimè gentium*, inquit, *Redemptori Cruci affixo victimam obtuli, haud dubiè placituram, cùm Principi valedixi, abſit jam, ut præpoſtero pœnitentiæ genere opus reſcindam, retractem obſequium. Dolet quidem, at doleat, ut lubet. Rationi, ac Fidei naturam cedere par eſt, & humanos affectus evaneſcere, ut quem Deo exhibui, conſtans ſit amor.* Quis veſter, oro, de tam illuſtri victoria ſenſus eſt, Auditores? Vos haud dubiè percellit heroici illius Animi Excelſitas, cui diuturnâ licèt ægritudine attrito, ac fermè fatiſcenti tantum virium fuit; ut geminis potentiſſimis hoſtibus, Amori videlicet, ac Dolori ſuo reluctaretur intrepidus, palmamque de iis eximiam reportaret. Oppugnabat uterque virtutem: uterque favebat naturæ. Tuebatur Amor jura ſanguinis: acerbitatem injuriæ Dolor accuſabat. Communibus ambo ſtudiis, armis, viribus certabant. Exaggerabat Amor violentiam doloris; ut diſceſſum Principis conquereretur: Utebatur viciſſim Dolor illecebris amoris; ut reditum ſua-

stiana Eroina, avvalorato dalla forza predominante della sua Pietà, si dimenticò d'esser Madre, e sol volle esser vittima, e serva del suo Signore. Inesorabile, e sorda alle ragioni del suo amore, ed alle querele, alle strida del suo dolore, diè compimento al sacrifizio, condannando le ragioni dell'uno come pretesti, e le querele dell'altro, come fiacchezze. O Cuore! O Pietà! O Sovranità! O Costanza!

Ma che maraviglia, Signori? Era Ella avvezza già da gran tempo a simiglianti battaglie, e non minori vittorie. La Virtù rinforzata dall'uso, ancor quando si languisce, e si muore, non è mai languida, e moribonda. Non ebbe solamente a combattere contro l'amor del suo Sangue; Ebbe la sua Virtù un'altro nemico tanto più crudo, quanto più dimestico, e più internato nelle sue viscere; nemico molesto, e inquieto, che non dà mai posa, ne tregua, ch'è quanto a dire, l'amore di Se medesima, della sua sanità, delle sue forze, della sua vita. E quì, se il tempo mel permettesse, potrei contarvi un'Iliade de' suoi patimenti, e singolarmente in questi ultimi ben quindici mesi d'infermità tormentosa: e tutto insieme direi maraviglie della sua longanimità, e rassegnazione, e pazienza, e di quel divoto fervore, con cui passava più ore del giorno senza stancarsene mai, e quasi senza avvedersene in dolcissimi colloquj con Dio. Argomentate voi il vigore del suo Spirito, immaginandovi quel lungo martirio d'una stentata, e penosa vecchiaja; quel morire ogni dì, e morir lento, e poi rivivere per tornar a morire; quel vederst tron-

Costante ne' dolori dell'Infermità.

ſuaderet. Inter utrumque hoſtem media imperioſæ Pietatis Heroina, pro Victimâ, pro Ancillâ ſe geſsit, Matrem oblita. Amoris blandimenta, & doloris gemitus; Illius, quòd inanes cauſas obtenderet; hujus, quòd muliebriter ejularet, æquè contempſit; ac ſupremam ſacrificio impoſuit manum. O animum ſeipſo majorem! O Religionem! O conſtantiam ſingularem!

Verum, ecquid miramur? Jampridem ejuſmodi victoriis aſſueverat. Virtutem uſu firmatam, vel in ipſo mortis confinio, vividam eſſe, ac vegetam, compertum eſt. Non amorem modò Cognationis, & Sanguinis, ſed alium quoque hoſtem frangere debuit; eò infeſtiorem, moleſtioremque; quò magis domeſticum, inſitumque naturæ, & nunquam à bello ceſſantem: Amorem ſcilicet ſui, ſtudium vitæ, valetudinis, virium tuendarum. Atque hìc enimvero, ſi per tempus liceret, malorum Iliadem recenſerem, atque eorum præcipuè, quibus in acerbiſſima ægritudine ſupra annum exercita eſt: ac inter alia longanimitatem, patientiam, demiſſionem, teneræ ſenſus pietatis efferrem, quibus plures continenter horas, ſuaviſſimè, & ardentiſſimè Deum alloquendo tranſigebat; quin vel contentionis laborem Ipſa ſentiret, vel temporis fugam. Atque hinc Animi illius robur, firmitatemq; conjicite, quantum ſit, reputantes, diuturno affectæ, fractæq; ſenectutis morbo, vel potiùs ſupplicio cruciari; lento mortis genere interire

Conſtans in morbi doloribus.

rire

troncar la vita a ritaglj, e minuzzoli; in somma quell' aver in faccia la morte ad ogni momento, e ad ogni momento sentirsi replicar addosso i suoi colpi troppo crudeli, perchè troppo pietosi.

Finalmente *ebbe a combattere [chi 'l crederebbe!] Principessa riverita, ed osequiata da' sudditi, amata, ed acclamata da' primi Personaggi dell' Europa, ebbe, dissi, a cimentare talora la sua Pietà contro lo sdegno altrui, contro il livore, la malizia, la maledicenza. Permiselo Dio, e l' ordinò forse a nostro esempio, che si unisse nella sua Persona così strano accoppiamento di contrapposti estremi; acciocchè conoscesse il Mondo la Superiorità di quel magnanimo Cuore, che non sapea invanirsi degli onori, ne risentirsi alle offese. Confessava Ella alcune volte con quella sua usata ingenuità a certe persone di sua maggior confidenza, che Dio le avea dato un cuor sì fatto; che non sapea odiare ne men chi l' odiasse, e assai meno offendere chi l'offendesse. Ma disse poco, e fece assai più. Ognun sa, quanto sia vivo, e risentito ad ogni menoma trafittura l'onore de' Grandi, de' quali, quanto è maggior il merito, e il grado, tanto è più grave l'offesa. Ricevono, dirò così, come tributi le adorazioni: or pensate, se presso di loro non sono come sacrilegj le irriverenze. Quanto però fu più mirabile la vittoria della sua Pietà nel malagevole contrasto della natura, dell' onore, della grandezza! Non si vendicò, non odiò, non offese. Parve ciò troppo poco al suo cuor generoso. Accolse, amò, beneficò, chi ebbe la disgra-*

e nel soffe-rire le of-fese.

zia

rire quotidie, rursum vivere, rursum mori; vitam in singula momenta deficientem, mortem verò semper imminentem aspicere, fatalemq; ictum, eò crudeliùs, quò mitiùs intentatum!

Demum quis crederet, eam Principis Pietatem, quam colebant, & venerabantur Subditi, Europæ summates Viri laudibus efferebant, iracundiæ, calumniæ, & livoris assultibus patuisse? Divino prorsus consilio evenisse arbitror, ut hæc incredibilia, & paradoxa in unum coalescerent: quò spendidiùs magnanimum illud Pectus, ut invictum honoribus, ita offensis impervium emicaret. Nonnullis sanè, quibus animi arcana aperire solebat, ingenuè de more fatebatur, eam se cordis indolem, Divinitus accepisse; ut à quibus odio haberetur, odisse; à quibus verò læderetur, ulcisci planè nesciret. Quid majus dicere potuit? Quid sublimius? Vix tamen aliquid dixisse videbitur, si quæ fecerit cogitemus.. Quàm tenera, quàm mollis sit ad offensiunculæ levissimæ sensum indoles Principum, ignorat nemo. Quippe illam, non modulo suo, sed læsæ Dignitatis comparatione metiantur: & ferè sacrilegum facinus videatur, eorum honorem violare qui à Populis coluntur, ut Numina. Multò igitur mirabiliùs, & gloriosiùs victrix nostræ Principis Pietas, atq; Religio de tot maximis hostibus triumphavit, Naturâ, Honore, Majestate. Hominem non aversari, non ulcisci, non lædere moderati animi id

quin, & injuriis perfe-rendis.

zia di meritare il suo sdegno: anticipò nel segreto dell' animo suo la remissione delle ingiurie, e poi confermolla co' fatti. Ricusò le stesse preghiere, volendo che fosse spontaneo, non implorato il perdono: Volle taluno pregarnela a ginocchia piegate; Nò, *gli disse*, alzatevi: ne mi parlate di questo, e vi basti sapere, che io sono Cristiana. *Udite per ultimo la bella massima, che io vorrei imprimere a caratteri indelebili, e nella mente, e nel cuore di chiunque m' ascolta.* La pace, *diceva*, e la Carità Cristiana non basta, che resti chiusa nel cuore; deve farsi palese a tutto il Mondo con autentiche prove del volto, delle parole, e de' benefizj. Imperocchè l'odio, l'avversione de' prossimi è un veleno sì tristo, che conviene toglierne anche l'ombra, anche il sospetto. *Così parlava, così sentiva, così praticava.*

Ah, miei Signori, una Pietà, una Carità di sfera tanto sublime, e sovrumana, che prevale, e trionfa delle più forti inchinazioni della natura, non è germoglio, che spunti dal basso fondo del nostro terreno. Ella trae dal Cielo i suoi natali; Ella è un vapore della Virtù di Dio, *per* Sapienz. 7. *valermi dell' espressioni del Savio*; Ella è un' emanazione sincera della chiarezza dell' Onnipotente, ed un' immagine della sua bontà. *Ella smentisce i falsi dettami del Mondo; che il perdonare sia una confessione di fiacchezza, ed il vendicarsi un argomento di valore. Anzi il perdono è una vittoria della Virtù; e questa è la più bella, e gloriosa vendetta, che possa far la Potenza;* Virtu- Themist. orat. 161. tis hæc victoria, *lo conobbe anche un Gentile*, vindicta potentiæ est.

esse dicebat, non magni. Quisquis ejus gratiâ excidere meruisset, Eum Illa placidè accipiebat, amabat sincerè, beneficiis largè cumulabat. Parcere maluit non rogata: Ne dedisse aliquid precibus videretur. Nonnemini veniam de genu deprecanti, *Surge protinus*, inquit. *Ne plura. Quo animo sim, paucis habe. Christiana sum.* Nobile tandem Ipsius effatum accipite, nulla oblivione delendum. *Pax*, ajebat, *& Charitas, quas è Christi disciplina didicimus, non satis animo continentur: Vultu, voce benefactis exhibendæ sunt. Tam enim improba est odii indoles, ac simultatis; ut ne ipsius umbrâ quidem, ac suspicione notari quemquam deceat.* Hoc animo conceperat, hoc ore profitebatur, hoc operibus ipsis implebat.

Quis jam, Auditores, Pietatis, & Charitatis tam Excelsæ, deque natura ipsa magnificè adeò triumphantis genesim, in hac terrena fæce deprehendere se posse confidat? Altiori Se Illa jactat origine. Cœlo debet exortum: *Vapor* illa est, ut Sapientis utar oraculo, *Virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis, & Imago Bonitatis illius.* Sapient. 7. Mundi illa insipientem Sapientiam evertit, fortitudini vindictam, infirmitati veniam deputantis. Cum è contrario si parcas, virtute vincas: nec splendidiùs, quàm hoc Virtutis triumpho, Potentia ulcisci possit: Teste Themistio: *Virtutis hæc victoria, vindicta Potentiæ est.* Themist. orat. 161.

Or da questa immagine, qualunque ella siasi, ch' io vi presento, della Pietà sincera, eroica, e dirò quasi, divina di questa Gran Principessa, che ne ricaveremo, Signori? Crediamo forse d' esser quà venuti a nulla più, che ad essere oziosi spettatori di questa sacra Funzione, o curiosi Uditori di questo mio ragionamento? Permettetemi, che io per conchiusione adatti a Voi inverso Lei quel breve, ma salutare Documento, che diede l' Ecclesiastico a tutti inverso Dio: Exaltantes

Ecclesi. 43. 44. cum replemini Virtute. *Voi senza dubbio esaltate, ammirate le Opere, e le Virtù di MADAMA REALE. Ma che vale il lodare, e l' ammirare se non si ama, e non si abbraccia, quel che si loda, e si ammira:* Exaltantes, *sì ammirate, ma imitate,* exaltantes replemini virtute. *Sono i Principi stabiliti in alto da Dio, non solamente per sovrastare a' Sudditi come Legislatori al lor governo, ma per indirizzarli alla Virtù, come Esemplari de' lor costumi. Ella fu vostra Sovrana. Abbiatela dunque presente alla memoria non solo come oggetto della vostra ammirazione, ma come idea della vostra vita. Ella sopravvive,*

Epilogo del Discorso. *come vi dissi, dopo la morte, e nella Memoria degli Uomini, in cui impresse un' indelebile idea delle sue ammirabili Doti: Sopravvive nel RE Figliuolo, e in tutta la Real Discendenza: E molto più sopravvive nelle sue Opere, e singolarmente nelle Opere della sua Cristiana PIETA', ch' è quel Cedro incorruttibile, che moltiplica la vita, e non è soggetto a morire: Ella so-*

Jam vero quantacumque hęc demum ſit germanæ Pietatis, atque in Tantâ Principe heroicè dominantis, quam hactenus adumbravi, Imago, quos vobis animos, quos ſenſus ingerit, Auditores? Quid enim? An huc tantummodo funebris hujus pompæ ſpectatores per otium futuri, aut orationem meam ſtudioſiùs audituri conveniſtis? Sinite jam, ut eo Eccleſiaſtici epiphonemate ſaluberrimo, quo mores omnium erga Deum inſtituit, in rem veſtram traducto, dicendo finem faciam: *Exaltantes eum replemini virtute*. MARIAM JOANNAM BAPTISTAM, rebus geſtis illuſtrem, virtutibus eximiam haud dubiè ſuſpicitis, atque laudatis. At niſi, quod admiramur, laudamuſque, diligamus, atque opere complectamur; admiratio inanis eſt, otioſa laudatio. Placeat exaltantibus admiratio: ſed admirantibus imitatio non deſit: *Exaltantes replemini virtute*. Principes conſtituit Deus, non modò ut ſubditos legibus regerent, ſed ut exemplo, ac moribus glorioſiùs ſubditis prælucerent. MARIAM JOANNAM BAPTISTAM, Principem, Moderatricem, coluiſtis: Ipſam igitur non admirationis argumentum tantummodo; ſed ut exemplar, normamque vitæ impreſſam ſemper animis gerite. Ipſam Funeri ſuo adhuc eſſe ſuperſtitem vidiſtis, Viventem adhuc, atque in perpetuum Victuram *in memoriis Hominum* iiſdem impreſsâ Regalium Virtutum ſuarum Imagine: in Rege Filio, atque in Auguſta

Eccleſ. 43. 44.


Orationis Epilogus.

sopravviverà anche in voi ; e nelle opere vostre , si moltiplicherà questo Cedro , se copierete in voi stessi le sue Opere , e i suoi Esempj . Onde moltiplicherete a Lei tante vite , quanti di Lei , e delle sue Virtù sa-
Psal.91.13. *rete imitatori :* Sicut Cedrus Libani multiplicabitur.



RE-

Posteritate Nepotum : denique in immortalibus Christianæ presertim Pietatis Operibus : Quę demum Pietas Cedrus illa est nunquam marcescens, mortis inscia, ac vitæ immortalis fomes . Si Ipsius spectatissimos mores , atque exempla virtutum in vivendi usum referetis ; perget adhuc in vobis vivere ; perget vivere in operibus vestris , ac immortalis illa Cedrus multiplicabitur . Unde toties vivet , quot virtutum suarum non laudatores tantùm inveniet , sed imitatores : *Sicut Cedrus Libani multiplicabitur* . Dixi. Ps. 91. 13.





REGIÆ CELSITUDINIS

VICTORIS AMEDEI II.

SABAUDIÆ DUCIS, CYPRI REGIS, &c.

PRIMOGENITO FILIO

GENETHLIACON

HABITUM IN AULA MAXIMA COLLEGII ROMANI ANNO MDCXCIX.,

ET

REGIO GENITORI

DICATUM.



Austissimis tandem Auspiciis, REGALIS PRINCEPS, edita in lucem optatissima Proles tot, ac tantis Italiam implevit gaudiis universam; ut lætandi finem, modumque Populi nesciant, qui nesciunt amandi. Omnes enim intelligunt, Hærede Filio Genitoris vestigia premente, firmatam in posterum esse Pacis tran-

tranquillitatem, quam Te Arbitro, & Authore aliquando fuerant assequuti: & dum felicitatem suam in hac Tua contineri præsentiunt, ùt sine adulatione, ita sine modo gratulantur. Tot inter plausus pudebat unum me conticescere, & erumpere gestientem, lætitiam indecoro silentio cohibere. Erupit gratulantis affectus. Imò, vide lætitia quid audeat? Non dubitavi, palam, ac publicè, hac ipsâ in Urbe, Terrarum Orbis Theatro; in hoc Romani Collegii erudito Athenæo, eâ ornato Apparatûs pompâ, quâ sua deferre obsequia Regibus solet; Eminentissimo coram, sapientissimoque Sabaudiæ Patrono; & in amplissima Præsulum eruditissimorum coronâ, venire in partem publici gaudii, adire fortunati Infantis Regales cunas, nostrâ illas coronare lauro, & mei privatim animi monumenta, isto qualicumque carmine posteritati consignare. Ignosces audaciæ, REGALIS PRINCEPS, ignosces temeritati, vel potiùs hanc meam de Patriæ amantissimæ singulari felicitate lætitiam boni consules. Hos mihi animos Humanitas illa incredibilis Tua fecit, quâ Subditos omnes, ac præsertim lite-

rarum

rarum amantes complecteris: ut qui non dignitatis tantùm, sed virtutum fastigio tot Principibus præstas, Humanitate ceteris etiam Augustior videare: omniumque prædiceris linguis juxta Inimicorum Terror, Amor Subditorum. Hâc igitur eâdem Humanitate fretus oro, ut munusculum hoc non meo tantùm, sed totius Romani Collegii nomine Tibi dicatum bonam in partem accipias, nec spectes quantulum sit ipsum per se se, sed quanto animo, quàm Tibi dedito, quàm nobilissimæ Domus Studioso deferatur. Illud dum sacrabo Tibi, dum Regales ad cunas appendam, interim Superos omnes comprecabor, non vanus Augur, ac Vates, ut Tibi, & Augustæ Proli salutem, felicitatem, adoream, quam mereris, cumulatissimè largiantur.

Humillimus, & Obsequentissimus
Servus, ac Subditus
Joseph Ignatius Chiaberge Soc. Jesu.

PRÆFATIO, ET ARGUMENTUM.



Ratulandum mihi eſt, quòd ea ſe objecerit dicendi opportunitas, quâ non modò Regio Principi Prolem, verùm etiam univerſæ Italiæ ſecuritatem gratularer. Ad hoc enim interpretor, Auguſto Sabaudiæ Duci conceſſam à Superis optatiſſimam Sobolem: ut Pacem Italiæ, adhuc nutantem, hoc veluti pignore confirmarent. Quod quidem cur ita exiſtimem, quàm breviſſimè dicam: ac ſimul totius Poematis argumentum, & ſeriem exponam.

Suavitatem Pacis, quam Italia vix delibaverat, ſuo felle conſperſerat Timor: ne videlicet ſi Sabaudiæ Dux Hærede Filio deſtitueretur, bellorùm inde cauſæ promanarent, ſimulque deeſſet, qui otium Italiæ, ſpeſque publicas tutaretur. Quamobrem in eo tota erat Italia, ut hanc Prolem à Superis impetraret. Per hæc tempora demiſſum è Cœlo Fulmen Taurinenſem in Arcem, ingenti cum ſtrepitu, nec ſine Arcis detrimento præcipitat. Perculſus metu Eridanus ad Neptunum Genitorem properatò confugiens, ab ipſo edocetur, fulmen illud ſperatæ

Pro-

Prolis fuiſſe prænuncium : reverſus cum gaudio, Neptuni verbis, & prodigio, conſtare fidem intelligit.

Placuit ab eo fulmine feliciſſimum Prolis augurium auſpicari: quod ſolemne Antiquis accepimus, qui fulmen, in lævam partem delapſum, in optimam augurii partem interpretabantur. Virgil. *Habent hoc proprium fulmina, ut auri venas in arcanis montium viſceribus abditas detegant.* Plin. *Quidni voluerint Superi pretioſiorem auro Sobolem, in arcanis Fatorum conſiliis abditam per fulmen detegere, ac prænunciare? Denique, ſi Plinio teſte, quoddam eſt gemmarum genus, pretioſum præ reliquis:* Idem. quoniam, *ut ejus verbis utar*, non aliubi inveniatur, quàm in loco fulmine icto; *non ab re dictum cenſuerim, ſi eodem ex fulmine Regalis Gemmæ pretium collegero, & quod ipſum conſequitur, Italiæ ſecuritatem. Adeò ut nec optabilior deficientis Sæculi ſperari potuerit exitus, nec ineuntis ingreſſus auſpicatior.*



GE-



GENETHLIACON.

Unde nova irato surgit Clementia Cęlo!
Dant animos, dant spes vel fulmina: quæq; ruinas,
Certaque portabant perituris funera Terris,
Muneribus cumulant, verso nunc ordine, Terras.
Quid Vobis reliquum, Superi? Mortalia vota
Quid metuant; vestras si in munera vertitis iras?
Sic ò, sic nobis, sic sæpè irascere Cœlum!
Felices Itali, quibus, olim nuncia cladis,
Fulmina perpetuæ cedunt in pignora Pacis,
Et spes sollicitas Augusti Germinis implent!
Si Timor ipse animos addit, si fulmina prosunt;
Quid non de Superis tandem sperare licebit?
Tuque ò fulmineos inter concepte fragores,
REGALIS PUER, & qualem prodire decebat
Ab Jove, Progenies, sive à Mavorte Sabaudo,
Edere felices vagitus incipe: & illos
Aude, Blande Puer, Cœlo sociare Tonanti.
Bellè conveniunt hæc fulmina fausta, Tuique
Vagitus: illi furialia bella, trucesque
Compescent strepitus bellorum. Nunc Tibi lauros
Interea circum dulces sine serpere cunas,
Dum præsaga refert venturos Musa Triumphos,
Quos modò portendunt Tibi fulmina læva Triũphos.

Bel-

BEllorum poſtquam durus deſæviit ardor,
Auſoniis tandem Pacem ſe reddere Terris
Juſſerat Auſonius Mavors. Vix Alpibus illam
Italia inſpexit labentem; Protinus Almæ
Pacis in amplexum ruit, & mille oſcula libat,
O Pacem, ò longo ſperatam tempore Pacem!
Exclamans. Pacem ingeminat non flebilis Echo:
Auditam ingeminant Valles, & littora Pacem.
Quàm læti Auſonidum plauſus! Quæ gaudia paſſim
Serpere! Nuſquam ullas ſenſiſſent gaudia metas,
Tu niſi, ſæve Timor, felicibus invide rebus,
Vix libata metu miſceres gaudia triſti.

Namque Timor, reducis comes, & cuſtodia Pacis,
Timoris Deſcriptio. Ponè ſequens aderat: dubio veſtigia figit,
Et tremulo greſſu, dum ſemper cogitat hoſtem,
Igneſque, & ſcopulos, & mille pericula cernit.
Pallida frons, oculi triſtes, maciemque ſeveram
Obduxere genis, nutrit quas pectore, curæ.
Nam ſecum incertus, noctéſque, dieſque volutat
Eventus rerum triſtes, curaſque futuri:
Heu vanas in ſe, ſed mœſto in pectore, veras!
Nempe facit curam ipſe Timor, dum cura timetur.
Horreſcunt crines, vel nunc dum Pacis adhæret
Securus lateri: dubio nam pectore volvens.
Nunquam venturi metuit diſcrimina Belli;
Et Bellum ſtruit ipſe ſibi formidine Belli.

Ille ubi feſtivo ſenſit fremere omnia cantu,
Auſoniamque alacri plaudentem murmure Pubem;
Hor-

Horruit: incertoque tremiſcens corpore, & altùm
Suſpirans, hilares plauſus hac voce repreſſit:
Heu Itali! lætis nimiùm ne fidite rebus. *Ejuſdem Proſopopœia.*
Non vobis Superi manſuræ pignora Pacis
Tuta ſatis dederunt: Veſtras huc vertite mentes:
Evolvam modò quæ maneant vos Fata. Sabaudus
Bellorum Domitor, Paciſque Aſſertor, & Auſpex,
Mortalis donec terris patietur haberi,
Sperate: Italicis nunquam Pax cedet ab oris.
Ipſe nequit timuiſſe Timor: Sperare jubetur
Nunc primùm, & ſperare jubet. Qui fœdera junxit,
Idem conſilio firmabit fœdera Princeps:
Sive opus, invictis Pacem tutabitur armis.
Objectaſque Alpes ſi Bellum infringere tentet;
Obvius occurret, ſua per diſcrimina, Victor.
Novit enim Martis caput objectare periclis,
Ingentemq; animam bello contemnere, certus (ber,
Non revocare pedem, quamquam undiq; ferreus im-
Plurimaque inſtantis lethi obverſetur imago.
Ah quoties volui, per tela inimica, per hoſtes
Impavidum, ſe fulmineo mucrone ferentem
Increpuiſſe Ducem! Non eſt victoria tanti:
Ah non uſque tuis Pax eſt redimenda periclis!
Hæc dixiſſe animus fuerat: Sed adire ruentem
Per medias cædes, timui, rapidumque morari.
Quis prope Belligeri poterat Ducis ora tueri,
Ora indignantem latè ſpirantia Martem,
Sive Jovem, trifido findit quum nubila telo?
Her-

Herculis ah potiùs conſpectum, iraſque tuliſſem,
Seu cum Geryonis monſtrum, aut centuplicis Hydræ,
Aut Erymanthæum clavâ proſterneret Aprum.
Profuit avertiſſe oculos, greſſuſque fugaces:
Ne Dux magnanimas in me converteret iras.
Vos illum incolumem, tot per diſcrimina lethi,
Servaſtis, Superi. Longùm ſervate Latinis
Præſidium rebus. Sed me nova cura remordet.

Progeniem Auguſto nondum exorata Sabaudo
Fata negant donare parem. Num clauſit in Uno
Regalem Proavûm Populum, ſeriemque Nepotum
Immenſam, atque Unum tota pro Gente creavit
Natura, innumeros geſtantem in pectore Reges?
Mortalem tamen. Hunc Italis heu triſtia Fata
Si quando, emeritæ poſt tempora longa Senectæ,
Invideant Terris, aut bellicus auferat ardor;
Quis Pacem Heſperiæ, quis par tutabitur Heros?
Nequicquam impoſitas Natura objecerit Alpes,
Italiæ muros, & Propugnacula Pacis,
Vindice ſi careant, & Defenſore ſecundo.
Vidi ego diſruptas ſubjecto pulvere Rupes,
Horreſco referens: Volitare per aëra vidi,
Saxorum avulſas magno cum murmure moles.
Heu nullum ſatis eſt tutum ſine vindice Vallum!
Noſcere venturos ſimul & prævertere caſus
Expertus, moneo. Lætis ne fidite rebus,
O Itali, incertis nimiùm neu plaudite fatis.
Auguſtæ Superos in vota laceſſere Prolis

Præ-

Præstiterit: reducem firment hoc pignore Pacem.
Dixit: & immistis turbavit gaudia curis.
Sic ubi arundineam subiere incendia Sylvam;
Protinus effuso bacchantes agmine flammæ,
Huc, illuc serpunt hilares, crepitantque favillis,
Perque leves saliunt calamos, perque aëra ludunt:
Exultant, festoque Ignes sibi murmure plaudunt.
Interea gelidus Cœlo si defluat imber;
Frigescunt sensim flammarum gaudia, sensim
Torpescunt mistis tepefacta incendia lymphis.
Haud aliter festis cum plausibus Itala Pubes,
Murmureq; infremeret; gelidus Timor omnia curis
Miscet. Plaudendi sensim deferbuit ardor:
Inque vicem subeunt caræ vota anxia Prolis.
Tum labor Hesperiæ, votis precibusq; morantes
Sollicitare Deos: Heu quid mihi munera Pacis
Profuerint, Superi, si me nova prælia vexant
Spemque, metumque inter, dubiique pericula Fati
Incertam, curisque gravem? Proh si qua superstes
Italiæ vobis cura est; properate precanti
Regalem AMEDEO Sobolem. Si lenta morantur
Needum operis tanti longum implevere laborem
Fata; vel informem invitis educite Fatis.
Sat Prolem Augustam Genitor, viresque tenellas
Formabit: Grandes animos, rerumque capacem
Magnarum finget Mentem. Modò Regia passu
Ponè legat tenero Patris vestigia Proles;
Poscimus hoc unum: Discet Genitore Magistro,

Italiæ Prosopopæia.

Et regere Imperio Populos, latèque tueri
Hesperiæ vallum, bellique arcere timorem.
Ergo agite, & reducem firmate hoc Pignore Pacem.
Quæ tenuere moræ? Properate hoc Sydera munus
Hesperiæ, & longas metuenti demite curas.
Dixit: & adverso defigens lumina Cœlo,
Cum votis lachrymas, longa & suspiria fundit.
Sed vota, & lachrymas, longa & suspiria longùm
Dissimulant Superi: dubiamque morando fatigant:
Gaudentque horrificis metuentem ludere signis.

Italiæ ad Vallum, præruptaque mœnia, quà Se
Urbs Augusta, ingens, formâ pulcherrima jactat,
Arduaque attollit Turritam ad sydera frontem,
Taurinum; triplici surgit circumdata Vallo,
vulgò Cittadella. Arx, multorum ingens sæclorum opus, atq; laborum:
Arcanas fodere vias, Puteumque capaci
Tramite cœca putes in Tartara descendentem.
Immanes abiere in propugnacula Montes,
In Vallum Sylvæ, in sinuosas Flumina fossas.
Frustra illam innumeræ Bello petiere Phalanges:
Una omnes contra stetit inconcussa Phalanges.
At non Cœlicolum stetit insuperabilis armis.

Namque soporiferæ per cœca silentia noctis,
Fulminis in Arcem irrumpentis Descriptio. Ingruit in celsam vis horrida fulminis Arcem,
Heu malè tot Vallis adversùs fulmina tutam!
Ignivomum serpit per Propugnacula Telum,
Visceraque interiùs penetrat, perque Horrea fertur,
Pulvere sulphureo, & tacitis prægnantia flammis.

Illi-

Illicet effractis turmatim incendia claustris
Prosiliere. Cavis quotquot fornacibus Ætna,
Seu quascumque Erebi Stygius Rex claudit in antro,
Sulphureas pestes, ruptisque tonitrua vinclis
Erupisse putes, conjuratosque tumultus
Orbis in exitium Naturam armasse Novercam.

Namque ubi celatas nitrato in pulvere flammas
Excussit, laxisque dedit decurrere habenis
Vulcanus; valido luctamine concutit Arcem,
Vi facturus iter flammis: simul aggere quasso
Avulsas Tellus ejectat in aëra moles:
Dispersa horrifico dissultant saxa fragore:
Arjete nunc Cœlum, Cœlo assurgentia, pulsant;
Nunc obversa solo, rapidoque volumine Molis
Præcipitata, novam pressa Tellure ruinam
Effodiunt, strepituque novam ingemuere ruinam.
Ingeminat cum clade fragor. Non murmure tanto
Juppiter obstrepuit, cum post fera bella Gigantum
Montibus impositum geminis devolveret Ossam
Præcipitem, curruque gravi quassaret Olympum.

Nutavere Urbis valido concussa tremore
Mœnia: nutarunt Ædes; & cardine moto
Divulsæ patuere fores, & Regia Turris
Excussit tremulo libratum vertice Taurum.
Ipsæ etiam, audito reboantis murmure cladis,
Intremuere Alpes. O quæ modò tristia duces
Omina, & Hesperiis heu quàm crudelia rebus
Fata canes, quantosve feres in cordibus æstus,

Pessimus in dubiis augur Timor! Audit utrumque
Obstrepere insolitis, frangique fragoribus Axem
Eridanus, crebrisque videt fulgoribus undas
Irradiare: statim gelido Caput exerit Antro:
Syderaque aspiciens, alium Phaëtonta putavit
Fulmine dejectum nova ferre incendia Terris.
Post ubi flammivomo perculsam fulmine sensit
Eridani Prosopopæja. Conflagrare Arcem; Superi! Quæ fata paratis
Italiæ, exclamat, vel quas portenditis iras?
Poscite nunc, Itali, Prolem, nova pignora Pacis
Cœlicolas, nullis domitam qui viribus Arcem,
Præsidium Pacis, nullo superabile Bello,
Fulminibus fregere suis, & vindice flammâ.
O Spes Italiæ vanas! O irrita vota!
Mox erit, ut quassas Dij verrant funditus Alpes,
Et Te nativis sine mœnibus indefensam,
Ludibrium objiciant Bellis, Martique cruento.
Sed quid ego incautus diverbero vocibus auras?
Quidve moror Superis invisâ abscedere Terrâ?
Sic ait: & trepidas urget velocior undas,
Neptunumque Patrem superatis, visere, ripis
Effreni properat, brevior quà semita, cursu.
Fortè renascentis sub prima exordia Solis
Plus solito lætus Neptunus Rector aquarum
Ludebat celeri tranquilla per æquora curru,
Et festo circum plaudebant carmine Nymphæ.
Sed volvi insano procul audit murmure fluctus:
Frænat equos loris, jussitque silentia Nymphis:
Dein

Dein tacitis oculis Maria omnia circumſpexit.
Eridanum, inſueto venientem tramite cernit,
In Mare præcipitem turbatas volvere lymphas.
Riſit. Norat enim, Natum quæ cauſa timoris,
Triſte per augurium, ſpectro terreret inani.
Sed gaudet, cauſamque fugæ ſubitique pavoris
Audire, & longas, Nato referente, querelas.
Ergo ubi Cęrulei primùm ſubit ora Parentis
Eridanus: Patriis, inquit, conſidere Regnis,
Da, Genitor, feſſum poſt dira pericula Natum.
Sum Tua progenies: dederas regnare tot inter
Heſperiæ Fluvios, & aquoſæ Gentis habenas
Flectere. Regnavi, Heſperiæ dum Regna manerent,
Et viſa eſt rebus Fortuna favere Latinis.
At nunc, quòd Superûm vertit ſententia mentem,
Regnare adverſis vanum eſt, ac flebile Divis.
Credo equidem noſti. Speratam Numina Prolem
Italiæ impacata negant: quin, omine triſti,
Fulminibus vertere Arcem, flammiſque dedere.
Quid ſupereſt, Alpes quin, & Regna Itala vertant?
Fugi, quid flammæ, noceant quid fulmina, gnarus.
Ni fugerem, arſiſſent undæ, quas fulmine cernis
Afflatas, viſiſque ſemel flaveſcere flammis.
Providus effugi inſtantis præſagia Fati.
Forſitan Heſperiam Superi de ſedibus imis,
Dum loquor, evertunt. Pavidas Pater, excipe lymphas:
Meque Tuo incolumem Regno tantæ omina cladis,
Da, Genitor, vitare, Tui ſub Numinis umbra.

Olli ſubridens Genitor, qui temperat undas,
Vultu, quo reduces poſt aſpera prælia Ponti
Solatur Nymphas, Natum ſolatur: & iſtos
Pone metus, dixit, Fatorum ignare Tuorum,
Nate. Nec Heſperias oderunt Numina Terras,
Nec Prolem Fata abnuerint, aut vota precantis
Italiæ ſprevere Dii: quum fulmina vibrant;
Non ſemper tactis portendunt funera Terris:
Interdum tactis portendunt munera Terris:
Et ſua diſſimulant terroris imagine dona.
Falleris, & mentem timidus malè decipit error,
Irato quòd cuncta putas erumpere Cœlo
Fulmina, & infauſtis clades indicere Terris.
Sunt etiam, Fili, ſunt fulmina læva, boniſque
A Superis immiſſa: tonat quum nube ſerenâ
Juppiter, & claro ludit placabilis igne.
Ignoſco, nimiùm timeas quòd fulmina, Nate,
Qui Phaëtontææ ſenſiſti damna ruinæ.
Ipſe etiam timui: Sed me Cyllenius Ales,
Conſcius Interpres Divûm, cui cura laborque,
Deferre Indigenis Superûm molimina Divis,
Nuncius è Cœlo, excuſſo vix fulmine, lapſus,
Me primum edocuit luſus, & dona Tonantis,
Quæ Tibi jam referam, ſolvamque è pectore curas,
Et capies mecum, cœpi quæ gaudia, Nate.
Nam veluti, niveum generans è rore lapillum,
Plin. Concha Maris, fracto ſi murmuret aëre fulmen,
Divitias uteri pandit, geminamque nitentem
Inter

Inter fulmineos properatam parturit ignes;
Haud secus Augustam Sobolem dum Fata morantur,
Fulmineo tardas Superi increpuere fragore,
Et vicere moras: festinantque edere Terris
Primùm ubi quisq; suo cumularint munere Prolem.
En Tibi, quà fulget cognato nomine Sydus, *Eridanus signum Celeste.*
Convenere omnes Superi, Prolemque Beatam
Divinis ornant donis, Mundoque petenti
Expediunt: pudet Italiæ protendere vota.
Postquam operi finem dederint; Caducifer Ales
Deferet Hesperiæ promissum ex Æthere Munus
Perpetuæ tutelam, & pignus amabile Pacis.
Tu modò, Nate, Tuas, mora nulla, revertere sedes:
Ut Prolem obsequio certans, & munere largo
Excipias: monitusque Tuos damnare timores;
Fatorumque moras non incusare memento:
Interea præbere meis spectacula Nymphis,
Atque novos pergam celebrare per æquora ludos.
Namque ardent hilares orituræ plaudere Proli,
Fasciolasque parant, Puerumque decentia dona,
Officiisque Tuas certant prævertere Nymphas.
Audiit attonito similis, similisque triumphanti
Eridanus. Vix facta Pudor sed gaudia turbat.
Nam pudet arripuisse fugam: certusque reverti,
Sibila Nympharum metuit; ludentia Regem
Cornigerum, vanâ terroris imagine lusum:
Obscuras rediturus amat, quæritque latebras:
Tramiteque arcano Terræ per viscera serpit.
Sed

Sed cœcum per iter, Genitoris dicta revolvens,
Vix mentem capit. ipse suam. Vicere pudorem
Gaudia. Prosiliens imâ Tellure sub auras
Erumpit, lætisque Urbes clamoribus implet,
Ostentatque viris solito fulgentius Astrum
Eridani: poteratque ipsum tunc vincere Solem.
Namque ubi confluxere Dii, tunc Sydus in unum
Astrorum congestus honos, & gloria fluxit.

Nec mora. Præclaro finem imposuere labori
Cœlicolæ. Ipse suis gestans Cyllenius ulnis
Speratam Hesperiæ defert ex Æthere Prolem:
Labensque, Augusti surgit quà Principis Aula,
Celsaque magnifico se tollit Regia luxu,
Pacis in amplexus demittens: Accipe, dixit,
Grande moræ pretium: optatum,Pax,excipe Alumnũ,
Longam Fatorum curam, Superumque laborem.
Dij certatim omnes finxere, sat omnibus unum.

Huic animum ingentem, Majestatemq; verendam,
Et mentem Imperiis habilem, Populisque regendis
Juppiter insevit: formam Venus addidit ori,
Purpureosque genis, niveosque afflavit honores,
Inque omni teneros vultu congessit amores.
Vim cordi generosam, & inexsuperabile robur,
Purpureisque oculis acres Mars indidit ignes.
Se puerum in Puero Martem pinxisse putares:
Sic oculos, sic ora puer, Gradive, ferebas.
In Puero credas sub imagine Martis Amorem:
Sed crede in Puero sub Amoris imagine Martem.

Mar-

Martem dissimulans si quando spiret Amorem;
Vel semel inspectus Bellorum mulserit iras.
Illum nempe ferox quum viderit hostis, amabit.
Deposito sed amore ferus si quando minaci
Sæviet aspectu; Martem exeret: ora cruentum
Spirabunt Martem: fugiet, quum viderit, hostis.
Ipse ego sed roseis conspersi mella labellis:
Dulce dedi eloquium, blandę & modulamina linguæ.
Nempe ubi Trejicios virtute subegerit hostes;
Voce feros hominum cultus, & agrestia finget
Pectora, bis domito referens ex hoste triumphos.
Insuper ingenuas versatile Corpus ad Artes,
Nervorumque agiles aptavi ad singula nexus.
Si quando Cytharam digitis impellere eburnis,
Sive gravem jaculis, Ursique, Aprisque minacem
Juverit accinctam lateri tractare Pharetram;
Blandus erit Cytharam, blandus tractare Pharetram.
Sive insignis Equo ludat spectacula Martis, *Iudi Equestres.*
Et modò Cornipedem sinuosos flectat in orbes;
Nunc jubeat, geminis fodiens calcaribus armos,
Exultare solo, celerique erumpere saltu;
Dulce ferox erit, & blanda gravitate timendus.
Sed veris propiora movens certamina Martis, *Ad Statarium*
Cum longâ rapidum Alipedem stimulabit arenâ, *Pugilem ac-*
Stantem ad claustra hostem, vel fictum, Casside frustra *cursio.*
Munitum; ferrique gravi sub pondere tectum,
Ipse volans, arrectus Equo, strictâ impetet hastâ,
Fervidus; incipiet jam non impune timeri.

Quip-

Quippe ruens fractæ per rimas caſſidis, ictum
Interiùs figet, telumque infringet in ore.
Sic oculos diſcet Getici terebrare Tyranni,
Vera ubi depoſitis indicet prælia ludis.
Scilicet ad tales habilem formavimus uſus.

Ultimus abſolvendo operi, tremulo pede venit
Saturnus Pater: & Pueri defixus in ore,
Obſervat rubros imitantia labra pyropos,
Ambroſiaſque genas, & lactea lilia frontis,
Sideribuſque pares oculos, blandèque ſeveros.
Vix oculos explet viſu: quin lene fluentes
Continuiſſe nequit lachrymas. Properare laborem
Sed monitus, tandem Puero ſuperaddidit altum
Conſilium Senis, & maturæ pondera mentis
Annoſus Pater: atque aurei Rex arbiter Ævi,
Cum Puero Imperium diviſit, & aurea Nato
Juſſit in Heſperiis famulari Sæcula Terris.

Hæc merces pretioſa moræ. Sic fœnore multo
Longas votorum curas, Arciſque ruinam
Penſavere Dii. Quin hac mercede placerent
Fulminibus quaſſatæ Alpes, & diruta fundo
Mœnia, prærupto Heſperiam cingentia vallo.
Scilicet hic Unus, ſi propugnacula deſint,
Si ruerent Alpes; Bello inſuperabile vallum
Hic Puer unus erit, totamque tuebitur Unus
Italiam. Hæc Superi præſagia certa dedere,
Fulmine viſi Arcem convellere. Scilicet Arce
Non opus, innumeras Unus ſi ſuppleat Arces.

Nec

Nec quum fulmineo Superi obstrepuere fragore,
Italiam petiere minis: petiere sed hostem
Regnatorem Asiæ. Lybicas delatus in oras
Vix fragor intonuit; simul omnia Regna tumultu
Misceri, ac trepidare metu. Quin omina cladis
Accumulant Superi. Nam, quæ Mavortius Heros
EUGENIUS Scythico satiaverat, arva, cruore,
Obstupuere Scythæ, redivivo undantia tabo
Fervere, sanguineasque iterum, ceu clade recenti,
Dum volvunt spumas, pariles portendere clades.
Insuper ingeminant vesano murmure Ripę (quondā
EUGENIUM, CAROLOS, PHILIBERTOS, bellica *Principes à Sabaudia.*
Fulmina, & odrysiis fatalia nomina Terris.

Mox ubi progenitam media inter fulmina Prolem
Senserit; heu quanto se pallida Luna pudore
Contrahet, exiguumque tremens vanescet in orbem!
Heu quàm terrificis frendens ululatibus omnes
Implebit Sylvas libycæ Dominator arenæ!
Ex ipsis metuet vibrantem fulmina cunis
Progeniem: & Patrii Proles quum fræna capesset
Imperii; AMEDEUM Genitorem in bella ruentem
Territus, Odrisii Moderator, & Arbiter Orbis
Instantem aspiciet tergo, strictoque minacem
Desuper infestum gladio: Jam reddere raptum
Imperium parat, & Cyprii moderamina Regni.
Rumpe moras, Dux Magne, & bella timentibus infer,
Incute vim pavidis, hostemque infensus adurge:
Ipsa reget teneris Proles vagitibus Urbes.

Sed

Sed postquam Ausonius, parvusq; adolescet Achilles;
Invadet Geticum, Tua per documenta, Tyrannum,
Fulmineâ strages vibrans, & funera dextrâ.
Vel nunc arma oculis, arma & vagitibus ardet:
Necdum æquos armis pueriles increpat annos.
His læti auspiciis felices condite soles,
Vestraque magnanimis dum Fata implebitis ausis,
Vivite Nestoreos, Genitor, Sobolesque per annos.
Talia fatidico Vates Cyllenius ore
Vix fudit; rapidis Cœlo se sustulit alis.
Interea Dulcem gremio Pax nutrit Alumnum:
Dulciùs Ipsa Suo sed Pax nutritur Alumno.

FINIS.

CHRISTOPHORUS FERRERIUS SOCIETATIS JESU in Provincia Mediolanensi Præpositus Provincialis.

CUm Librum, cui titulus: *Orationes P. Josephi Ignatii Chiaberge* è Societate Jesu, unà cum *Carmine Genethliaco*, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: facultate nobis à R. P. Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali communicata, concedimus, ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas, dedimus. Mediolani die 5. Septembris 1724.

CHRISTOPHORUS FERRERIUS.

Locus ✠ Sigili.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo. Albertus Alferius Mag. Vic. Generalis S. Officii Taurini.

V. De Aguirre R. Adv., & Stud. Censor.

V. Caselette pro Excellentiss. D. P. P., & Comite Ricardi Magnæ Cancellariæ Custode.





